

V C
3407





D. O. M. A. E. F. V.

ORATIO PANEGTRICA TRIPARTITA,
Plusquam memorabilia, & maximam partem incruenta
trophæa Saxonica-Septemvirali-Regio-Cæsariana continens

Q V Æ

Invictissimi & potentissimi Principis ac Domini,

DN. FERDINANDI II.

*Sacri Romani Imperij Induperatoris, nec non Ungaria ac
Bohemia Regis, &c. augustissimi, augustissimus Dominus*

COMMISSARIUS,

Serenissimus atq; potentissimus Princeps ac Dominus,

DN. JOHANNES-GEORGIUS,

Saxonix, Julix, Clivix & Montium Dux, Sacri
Romani Imperij Archimarschallus & Elector, Landgravius

Thurungix, Marchio Misnix, Burggravius Magdeburgensis,

Comes de Marca & Ravensbergk, Dominus in Ravenstein,

Dominus noster clementissimus,

Loco ac nomine præallegati Domini principalis,

Non ita pridem

A B

Vtriusq; Lusatix Marchionatibus,

Inferioris & Superioris Silesix Ducatibus,

Regnorum ac Regionum illarum Proceribus,

Civitatum celeberrimarum Primoribus,

Glacensi Bohemix Regni Comitatu primario &

Omnibus prædictorum Territoriorum subditis atq; incolis

Ineffabili benedictione divina & nunquam intermoritura

laude reportavit;

Concinnata, & edita à

CASPARO SCHRÖTERO LONGOSALISSANO

J. U. D. & pro tempore Advocato Misenæ.

FRIBERGÆ, Typis Georgij Hoffmani, Anno 1623.

EPISTOLA DEDICATORIA,
A D

SERENISSIMUM

ATQVE POTENTISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM,
DOMINUM

JOHANNEM-GEORGIUM,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM Du-
cem, Sacri Romani Imperij ARCHIMARSCHAL-
LUM & ELECTOREM, Landgravium Thurüngiæ, Marchio-
nem Misniæ, Burggravium Magdeburgensem, Comitem de Marca
& Ravensbergk, Dominum in Ravenstein, &c.

Principem ac Dominum meum
clementissimum.

Acta est hætenus privatim Ingenioli mei
quæpiam alea! SERENISSIME atq; POTENTIS-
SIME SEPTENVIR, DOMINE CLEMENTISSI-
ME; Et ecce! cum Luciano in Imaginibus, audebo pu-
blicitus adhuc aliam jactare aleam. Quid hoc est dicere, quid fa-
cere? inquit, Sereniss. Celsitud. V. En age sis! pace vestra si, ut
creduim, licet: planius dicam, & eo ipso, quid predictis hisce velim,
Sereniss. Celsit. paulò ostendam plenius.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,

Enumerat miles vulnera, pastor oves.

inquit Amorum ille Doctor, & Poëtarum corculum Ovidius Nasos
Hinc nullus dubito, quin non Nasones aliqui, verùm Bambalione.

*nasuti plurimi futuri, & non tantum risuri, sed & memet ideo ir-
 risuri sint, quod ego, homo certo respectu privatus, & extra mili-
 tiam constitutus, in presenti oratione panegyrica, de publicis non-
 nullis rebus, de rebus itidem militaribus, publica quapiam verba
 facere ausus fuerim, & illis ipsis Res anno praterito, ac brevi quo-
 dam hujus anni spatio à Sereniss. Celsit. V. gestas paucis describere,
 ac eternitati quasi consecrare non erubuerim, addita speciosa hac
 risus hujus, atq; irrisus sui ratione, quod hic ipse à me susceptus
 labor ad eos magis pertinere videatur, qui rerum illarum publica-
 rum militarium penitiorum quandam cognitionem, quam egomet,
 in mentis scrinio, cerebriq; tholo reconditam haberent: quin imò
 ad illos propriè spectare censeatur, qui illis rebus publicis, qui illis
 rebus militaribus, & corpore, & animo, si non praesuerunt, admi-
 nimum tamen praesentes interfuerunt. Speciosum, me Hercules!
 argumentum! terriculamentum, me Hercules, validum! ad quod
 quivis tanquam ad Empusæ alicujus conspectum confestim fugere,
 & consequenter etiam ego, in passu praesentis animum simul &
 chartam abjicere, & à proposito meo actutum desistere potuissem,
 debuissim. Cur autem hoc posterius noluerim, cur illud ipsum
 non potuerim, cur non debuerim, paulò dicam inferius. Interim
 verè hic dico, quod prior hic ingenioli mei, an fortuna dicam?
 non sat scio, jactus, alea jactus instar satis opinor fuerit dubius;
 Cui nunc presso, quod ajunt, pede succedit alter: Hac ipsa nempe
 Sereniss. Celsit. V. chartacea interpellatio & vigore ejusdem præ-
 dicti qualis-qualis laboris mei literarii humilima ac devota oblatio.
 Circa quem laborem hoc oriri dubii, nescio unde suboleam, nun-
 quid videlicet is ipse tantum momenti sit, & tale quippiam contine-
 at, ut Sereniss. Celsitud. V. lectione ejusdem praegravari tutò, &
 absq; tædio possit ac debeat? Attento, quod Sereniss. Celsitud. V.
 non solum de per se, cum respectu negotij hujus Bohemici, tum re-
 spectu*



*ſpectu reliquarum publicarum curarum, tanta occupationum mole
 pregravata ſit, ut non immeritò Atlas ille Cœliſer cuiſciam videri
 poſſit. Considerato, quod tanta Sereniſſ. Celsit. V. aurium delitia,
 tantum iudicii inſit acumen, dexteritas tanta, ut non niſi longo
 tempore ad Ariſtophanis & Cleantis lucernas elucubrata verba,
 variisq; ſententiarum pigmentis & lenociniis illustrata deſideret,
 expectet, & haurire cùm ſueta, tùm digna ſit rerum encomia:
 contrà horrida, inculta, & trita, qualia homines de foro proponere
 ſatagunt, & adſolent, prorsus reſpuat. Perpenſo deniq; quod ma-
 gnos magna deceant. Et principibus hominibus ea danda ac pro-
 ponenda ſint, quæ ſimul & dignitati & officio eorum reſpondeant.
 Magna me hercules & hæc objectionum momenta! argumenta me
 Hercules avocatoria haut levia! aut ad minimum tanta, quæ
 dubiam aliquem, & ancipitem ejusdem reddere poſſint animum.
 Aſt quando viciffim mihi rem omnem altiùs mecum in corde meo
 verſanti, quando mihi omnes ejusdem circumſtantias hinc inde
 reputanti, eaſq; ad rectam iudicii lancem adpendenti; hoc non in
 memoriam tantùm, ſed ipſam ſimul mentem venit, quinimò unà
 mecum omnes p̄y atq; ab affectibus privatis vacui & immunes, Ro-
 mani Imperii ſubditi nolentes volentes fateri cogantur, quod cla-
 des Bohemica non privata, ſed publica, & quidem ita publica fue-
 rit, ut non tantùm ipſius ſummi Imperii Romani capitis, ejusdem-
 que membrorum ſingulorum principaliorum, ſed & reliquorum
 minus principalium ſive ſubditorum omnium, quinimò totius or-
 bis Chriſtiani, atq; ſic etiam communis noſtræ patriæ fortunam,
 ſeu ſalutem potius, ut & econverſo horum illorumq; ruinam ac in-
 teritum in ſeſe comprehenderit; Conſequenter de dubio illius ſtatu
 hæctenus, non immeritò quiſvis ſollicitus fuerit, circumſtantias
 ejusdem quiſvis non immeritò probè notarit, animadvertet:
 Præterea Sereniſſ. Celsit. V. non eorum ſaltem cauſa, qui expediti-*

tioni huic militari maximam partem, lucelli sui proprii sive privati gratia, interfuerunt, arduum hoc Commissa Executionis Munus & onus in se suscepit: Verum ad susceptionem ejusdem plurimis de causis adducta, quinimò compulsa quasi fuerit: Nec tamen omnibus hac de re hactenus eadem fuerit mens, non omnibus eadem hactenus extiterit Sententia; Verùm rumusculi sinistri hinc inde à scurris, nescio quibus, sparsi sint plurimi. Finaliter; predicti suscepti muneris causa finalis, utriusq; nempè tam Religio- nis, quàm Prophana Pacis recuperatio, & tranquillitas publica, unà cum reliquis illi adnexis bonis ac donis divinis, aequè eos, qui extra militiam, ac eos, qui in ea constituti sunt, aequè eos, qui pri- vatam vitam vivunt, ac eos, qui publicis officijs præsunt, concer- nat, usui sit & conducatur. Tantum abest, ut per predictarum ob- jectionum argumenta hactenus à proposito deterreri potuerim, aut etiamnum subjectissimam hanc Sereniss. Celsit. V. interpella- tionem, Laborisq; mei, ut maximè perexigui, devotissimam obla- tionem intermittere voluerim, debuerim, Ut etiam posterioribus hisce fundamentis motus, ac quasi victus atq; superatus, priora illa objectionum sive contrariantium argumenta, præ his vilipendere ceperim, & tandem confirmatus, utrumq; predictorum jactuum majori affectu urgendum, quinimò maturandum esse duxerim, ac proinde spretis antea relatis contrariantium opinionibus, hisce nunc ambas illas aleas, de quibus in principio hujus dixi, jactatas velim. Idq; eum potissimum in finem, quò Sereniss. Celsit. V. in presenti panegyrica relata, ac Dei Omnipotentis Ter. Opt. Ter Max. prorsus divina benedictione atq; clementia concessa atq; par- ta TROPHÆA, eò fierent illustriora, eò redderentur durabiliora: Et in lingua hac Romana, non Romanis saltem, sed ex alijs exter- nis innotescerent gentibus atq; populis.

De

De Romanis universi penè Terrarum Orbis Dominis historia
narrant, quod non solum suis Belli ducibus prosperè domum rede-
untibus & Victoriā ab hostibus eorum reportantibus, honestis-
simos quosvis in consessibus publicis locos concesserint, illis in spe-
ctaculis lauream coronam capite gestare permiserint: sed etiam
Triumphales quasdam columnas, statuas, arcus, trophæa & alia
monumenta erexerint publica; quin imò & hoc de iisdem historia-
rum testantur in volucra, quod apud eosdem laudatio publica, co-
rona itidem civica, & alia vixntήροια in usu fuerint. Quod si ego
jam horum exemplum quatenus emulari ausus sum, atq; etiam-
num conor, quis est, qui vitio mihi illud vertere velit, qui mihi vi-
tium illud vertere jure possit? cumq; ob curtam rerum mearum su-
pellectilem & indigentiam haud postremam, Sereniss. Celsitud. V.
prioris generis monumenta triumphalia erigere non valeam, Ecce!
ad posterius confugisse, & hanc laudationem publicam suscepisse,
vixntήροια hoc obtulisse, spero sufficiet. Et ut sufficiat & benignis-
sime à Sereniss. Celsit. V. suscipiatur, eandem summa, qua possum,
animi devotione & contentione humilima oro, obsecro ac deve-
neror. Levidense hoc fateor vixntήροια & laudatio sterilior, ac je-
juna magis, quàm ut rerum à Sereniss. Celsit. V. gestarum api-
cem, ac consequenter honorem illis dignum attingat. Ast quia in-
terim, Poëta teste, rebus in magnis & voluisse fat est. Quia, Ælia-
no autore, Artaxerxi illi Magno Persarum Regi, qui Mnemon co-
gnominatus fuit, aqua è Cyro amne hausta, & à Sineta rustico
pie ac fausta gratulationis, sive exceptionis gratia, oblata ab eodem
non modò libenter & humaniter acceptata, verùm regaliter com-
pensata fuit, non tam ex munere animum quam ex animo munus
estimando. Fructus siquidem beneficij verus est animi ipsius bene-
volentia, teste Bernhardo, neq; in eo solùm queritur, ut Ambrosius
loquitur, quantum, sed de quanto & quanto animo detur. Nam
& secun-

¶, secundum Plinium, Diis supplicari lacte à rusticis adsolet, & qui thura non habent, mola saltem litare salsa, fas est, καεῖται δὲ τὸ ἰουδὸς ἀπὸ τοῦ, ut in Græcorum est proverbio.

Denuò ergò atq; reiterata submissa ac humillima animi contentione Sereniss. Celsit. V. oro, obsecro atq; deveneror, velit & illa chartaceum hoc quale quale munusculum & *ἡμετέριον* levidense pari gratia atq; clementia accipere, & non tam munus, quam animum spectare obferentis. Quod si fecerit Sereniss. Celsit. V. non solum mihi, sed & aliis ad similia, quin imò ad majora comparanda, obferanda, stimulum addet & calcet longè maximum. Interim ego non desistam nec defatigabor DEUM Trinunum Ter. Opt. Ter. Max. devotissimis atq; ardentissimis precibus sollicitare atq; devenerari, ut Sereniss. Celsit. V. vel similibus bellicis muneribus atq; oneribus prorsus exonerare atq; immunem ab istis reddere; vel si ejusmodi alie adhuc suscipiende forent; expeditiones tunc earum cursum, si non majori & clementiori, ea tamen, qua hujus divina clementia aura divina divinitus provecta fuit, provebere, & ad latum, imò latissimum exitum dirigere, imò perducere velit. Dabantur è Museo meo non-meo, Misena, Calendis ~~Januarii~~ Anno CHRISTI *Ἰεανδρῶν* 1623.

Sereniss. Celsit. V.

Subjectissimus

CASPARUS SCHRÖTER D.



THEMATA SIVE PARTES
ORATIONIS HUIUS PANE-
GYRICÆ SPECIALIORES.

I.

Qua occasione, & quibus de causis, Serenissimus
Noster Elector bellum contra utriusq; Lu-
satiæ Marchionatus, uti & contra geminæ
Inferioris nempe & Superioris Silesiæ Du-
catus, & belli hujus Consortes reliquos su-
cepit.



II.

Quibus Mediis, Remediis & Adminiculis idem
ille Serenissimus Noster, in suscepto bello
potissimum usus sit.



III.

Qualem hoc ipsum, Contra prædicta territoria,
susceptum Bellum, sortitum sit eventum.





AD CANDIDUM ET
BENIVOLUM LECTOREM,
PREFATIO.

Multa sunt, Candide atq; Benivole Lector, quæ ut Te, mox ab initio hujus mee Panegyricæ, moneam, me non monet saltè, sed modis insimul omnibus, summoq; impetu urget dira illa, (liceat eandem, poëtico more, tali insignire Eulogio) **DE A NECESSITATE** Ab una parte mihi **RERUM GESTARUM**, in præsent. hac mea panegyrica comprehensarum **MATERIAM**, atq; seriem: Ab altera verò parte **DESCRIPTIONIS** ac **DIVULGATIONIS** ejusdem **DIVERSA TEMPORA**, atq; sic, si non expressam, tacitam tamen **RUBRICÆ** mee, in verbis, **NON ITA PRIDEM**, latitantem **CONTRADICTIONEM**, nec non alia necessariorum præmonitionũ argumenta plurima objiciendo. Cumq; hætenus hujus ejusdem Divæ tela, adeò fortia, penetrabilia, ac prædura semper deprehensa fuerint, ac etiamnum indies talia experiantur, inveniantur, ut ne ipsemet quidem **Majors**, nedum minorum aliquis gentium, si illi isse opposi-

B

turs

tum ire vellet, Hercules, aut consimilis Heros alius, viriliter satis, satisq; animosè adversus eandem stare, durare, ac perdurare valeret; Utiq; nil miri, creduim, cense-
 ri potest, quod & ego hac vice, praedictis illius telis im-
 petitus, ab iisdem omnino victus, ac consequenter ani-
 mum, insimul & calamum ad insequentia praemonitio-
 num capita adplicare coactus fui, & eo ipso Tibi hac spe-
 cialiùs, ac fusius nonnihil, ob oculos ponere non erubui.

Quod igitur res est, & scopum hujus meae, ad te can-
 didum atq; benivolum Lectorem directae, praefationis
 principaliorè attinet, primùm omnium omnino scias
 velim, actutum, ut nunc fermè biennium antè, ACCOR-
 DI IMPERATORI-REGI SEPTENVIRALIS-SAXO-
 NICO-SILESIACI NEGOTIUM tractari, continuari
 & Dei Omnipotentis singulari clementia, & directorio
 prorsus divino, tandem ad praefinitum, optatumq; finem
 perducere cepit, me insimul, DEO autore & fautore uniter
 unico, de hac ipsa, quam jam nunc impraesentiarum pu-
 blicis typis impressam accipis, Panegyrica cogitare, ean-
 demq; concinnare cepisse. Nec hoc solum cepisse: Sed &
 eandem, divina gratia divinitus adspirante, intra tem-
 poris non adeò longi intervallum, in certum coniecisse or-
 dinem, ac tandem ad letissimum, ut spero, finem perdu-
 xisse, intantum, ut illa ipsa, ni alia gravissima mihi ha-
 tenus obstitissent impedimenta, confestim, & penè in
 ipso

ipso adhuc, vel paulò post eundem actum, actu typis publicis exscribi potuisset.

Quia verò tam *R E S*, quæ in illa pertractata inveniuntur, quàm *P E R S O N A E*, quarum hinc inde in illa mentio fit quàm frequentissima, *P U B L I C A E* fuerunt, & adhuc hodiè pro talibus reputandæ sunt, consequenter universa panegyricæ hujus meæ *M A T E R I E S*, magis pro publica aliqua, quàm pro privata mea Relatione ac deductione habenda: Utiq; nemo negatum ire audebit, aut inficias, mihi hanc ipsam prius publici juris facere nullatenus licuisse, quàm Eadem censura, iudicio, & approbatione illorum, quorum *A u t o r i t a s* & *I n t e r e s s e* præ reliquis in ea tangitur, vertitur, subjecta & præviis, imò subsequitis his actibus omnibus, ab illis demùm eam juris publici faciendi potestas mihi retrò data atq; concessa esset publica. Hinc ulterius factum est, ut, dum hæc ipsa mea panegyris, ad prædictos actus perficiendos, eò loci à me, quò principaliter pertinere videbatur, una atq; altera vice obferenda veniret, imò re ipsa oblata fuit: interim tantum temporis præterlapsum sit spatium, quantum ab ipso, paulò superius specialius nonnihil allegati, *A C C O R D I N E G O T I O* ad præsens tempus usq; intercessit; Retrodationem & divulgandi licentiam mox (1) Itinerum Lusatæ-Silesiacorum, mox (2) Comitiorum Electorali-Saxoniorum Provincialium, mox (3) alio-

rum gravissimorum Negotiorum publicorum Expedi-
 tionibus publicis, ac omnino necessariis, prater spem & opi-
 nionem intervenientibus, impediuntibus, Ne quid de
 exoptatissimis Natalitiis, nuperò nati (sed proò dolor
 paulò post iterum denati) Illustrissimi Ducis Saxonici
 HENRICI, & eorundem gratia institutis solennitatibus
 letissimis; Ne quid de Exequiis ejusdem celeberrimis,
 lugentissimis; Ne deniq; quid, de THURINGIACIS tur-
 binibus atq; periculis, & exinde in Serenissimum Electo-
 rem nostrum sese cumulatim derivantibus curis, aliisq;
 hujuscemodi actibus publicis solennibus pluribus, dicam.
 De quibus omnibus tamen, unicum hoc generaliter ac
 verè adserere, cum possum, tum debeo, quod illi in uni-
 versum omnes, ac specialiter singuli, panegyricæ hujus
 meæ divulgationi non modicam, sed magnam, imò penè
 omnem eam, quæ hætenus intervenit in - & - attulerint
 moram. Penè omnem, inquam. Nec enim & hoc, ut ma-
 ximè vellem, diffiteri possum, predictis Impedimentis
 gravissimis publicis, omnibus, etiam aliud quoddam sese
 malo conjunxisse omine malum commune publicum;
 CHARTARUM nempe PENURIAM: eamq; tantam exti-
 tisse, ac etiamnum inveniri, ut ejus intuitu neq; ipsemet
 illarum copiam pro pretio habere necessariam, neque
 Bibliopolarum aliquem invenire potuerim, qui, consueto
 alias more, suis sumptibus hanc meam publici juris face-
 ret



ret panegyrim, ut maximè hoc divulgationis negotium, mox ab initio, per fide dignissimos & summae autoritatis viros, apud quosdam eorundem urgeri, & omnem simul lapidem, ut tritum sermone habet proverbium, moveri curaverim.

His ergò & aliis hujusmodi remoris, atq; incommoditatibus reliquis pressus ego, non potui hanc tibi haetenus, pro animi mei intentione & voto unico, citius communicare: quin imò, non multum absuit, quin penitus esset suppressa, ni unus atq; alter (quos honoris causa nominatim hic exprimere animus gestit meus, ob causas verò, quas juxta mecum domi novi certas, non valeo) Majorum Gentium Mecenas, Levane quasi vices subiisset, & imbelli huic operi manus admovisset auxiliatrices, instantum, ut illud ipsum jam nunc, non obstante tanti temporis intervallo, nec attentis tot, tamq; magni momenti impedimentis, tandem lucem hanc videat, & quorumvis bonorum manibus versari valeat. Caterum nec hoc te latere velim, quod cum, secundum Senecam,

Discipulus sit prior posterioris Dies;
egomet multis rationibus adductus, hoc ipso divulgationis actu, hanc ipsam meam panegyrim in aliquibus immutârim. In aliquibus, inquam. Postquam enim primo nisu, una serie à me proposita, mihi unius orationis modum excedere velle visa fuit, iam tripartitam illam fe-

ci, retentis omnibus omninò aliis in primo opere allatis circumstantiis, exordisq̄, saltem novis, novisq̄ Epilogis, his in prima & secunda; illis in secunda & tertia parte additis. Idq̄, eum potissimum in finem, quò, tu Benivole atq̄, candide Lector, è summario cuius parti præmisso, uno quasi intuitu, quis ejusdem scopus principalior, & materies potissima sit, percipere valeres. Quod si in hoc à me erratum, aut peccatum est, prout humani à me nihil alienum esse puto: tantum tamen spero erit, quod vel correctionem vel condonationem mereatur & admittat faciliorem, equiorem. Interim tu hanc serenissimo vultu accipe, & taliter de ea, qualiter de tuis judicariis velles, judica.



Σὺν τῷ Θεῷ.

ORATIONIS PANEGYRICÆ
PARS PRIOR.

Vetus & verum verbum est, P. C. in tantum, ut etiam anterioribus seculis diverbii locum obtinuerit: **OMNIUM RERUM VICISSITUDO.** Paucorum, me Hercules! verborum adagium! ast non pauca in recessu facta continens. Id quod inter reliquos optimè non novit modò, sed infimul notavit Græcorum Poëtarum antesignanus Sophocles in Oedipo Coloneo, & ex eodem in sequentibus nos docuit versiculis latinis, ad Scholarum incrementum natus Vir Erasmus in Adagiis,

*Solis, inquiens, Deis**Nunquam senecta molesta, nec mors accidit,**At reliqua miscet cuncta tempus impotens.**Terra per hoc vis atq; robur interit,**Simulq; nostri corporis perit vigor.**Moritur fides, perfidia pullulat invicem,**Nec animus idem, nec eadem fragrantia,**Haud unquam amico durat erga amiculum,**Nec civitati in civitatem permanet.**Siquidem his statim, illis post pusillum temporis,**Fucunda quæ fuerunt, amara ac tristia,**Ingrata dudum grata sunt invicem.*

Quod si autem hæc omnia, ullo unquam tempore, locum habuere, Jovem lapidem jurare ausim! Illa ipsa hætenus & impresentiarum adhuc maximè vires, vim & effectum suum exseruisse atq; etiamnum exserere. Etenim inferiorum sive minorum gentium vicissitudines, cum certissimas, tum presentissimas

mas

mas ut taceam, quis adeò in historiarum cognitione peregrinus atq; hospes inveniri potest? qui nesciat, quantis, quàmq; plurimis ac gravissimis adversæ fortunæ procellis, summum illud, & sacris literis si adhibenda, uti omninò adhibenda, est fides, ad ipsam totius visibilis hujus mundi conflagrationem usq; durable Sacro sancti Romani Imperii corpus, & singula penè ejusdem membra, per decennii, plus minus, spatium agitata fuerit, & quantum earum respectu, illis non lapsus modò, sed ruina, sed naufragium, & tantum non penitissimus impenderit interitus. Quando verò jam nunc, Dei altipotentis singulari beneficio & adflatu benignissimo, & prædictæ procellæ tumultuantes indies paulatim sedari, & motus earundem periculosissimi non nihil compesci incipiunt: quis, quæso, negatum ire ausit, ac inficias? paulò ante allegatum vetus veriverbium, maximè hoc no tempore, vires suas exseruisse, & etiamnum ubertim exserere.

Cæterùm quemadmodum nemo, opinor, vestrùm P. C. est, de hætenus dictis qui dubitet amplius, & qui dubitare de illis aliquis posset? cum vel sola experientia cotidiana facti evidentiam cuivis ob oculos ponat: Ita vicissim & hoc nemo negabit, autumo, communem illam rerum vicissitudinem, non stoico quopiam Fato, multominus ementita calvi popelli absoluta obvenire prædestinatione; Verùm circa illam semper & undiq; certas intervenire causas secundas sive intermedias; quas postmodum hujus vel illius mutationis sive vicissitudinis effectrices quis non immeritò dixerit? Hisce verò omnibus ita præsuppositis ac stantibus, quivis facillumè colligere, quin imò non abs re mecum statuere potest, neutiquam oleum atq; operam perdere, verùm rem officio suo condignam facere illos, qui in investigatione prædictarum causarum intermediarum præ reli-

quis

quis sunt solliciti, & insimul in consignatione earundem quales - quales operas sumunt, insumunt labores: eosq; inter cætera eum in finem suscipiunt, quò, secundum ipsius Spiritus sancti in sacrosancta scriptura consignatum monitum, quivis cum tristibus tristis, ac vice versa lætabundus cum lætabundis esse valeat.

Cumq; præterea in proposito Romani Imperii, ejusdemq; cum corporis, tum membrorum statu & exemplo vicissitudinario pergundo, si unquam quispiam in Reipubl. hujus superioris, imò supremæ navi præcellentiori constitutus, vastissimum, simul & periculosissimum rerum gerendarum pelagus tranare & eo ipso præter spem & expectationem, multivarias tempestates experiri necessum habuit, easdem certè hæctenus ubertim Serenissimus atq; Potentissimus Elector Noster Saxonæ Johannes Georgius expertus sit: quando illi post obitum Serenissimi simul & Potentissimi Principis ac Domini, Domini Christiani II. fratris plusquam Theséo amore junctissimi, pientissimæ recordationis, placatum quidem Electoralium Provinciarum Imperium, à Deo Ter-Opt: Ter-Max: successionis Jure quasi per manus traditum, successu verò temporis Imperii ejusdem gubernacula uti amplissimo amplissimorum honorum augmine insigniora, ita gravissimâ gravissimarum curarum mole graviora, imò gravissima reddita, & majoribus quàm antea sollicitudinibus exposita fuerunt; summo illo Vicariatus Romani Imperii honore, atq; onere, intra septennium bis in illum devoluto, & eidem hoc anni spatio, gravissimæ Executionis adversus Regis Bohæmiæ & Cæsaris Romani rebelles subditos, Munere commisso. Tantum enim abest, ut summa hæc honorum publicorum munia sive fastigia ab omni curarum malo atq; mole vacua sint & immunia: ut etiam de illis etiamnum hodiè verè pronun-

pronunciari possit vetus illud Isocratis effatum, quò splendidior est, inquietis, & diviniore Reipubl. administratio, eò solet esse laboriosior atq; difficilior. Nam regnum ut summum est, & maximum omnium bonorum humanorum, ita summam & maximam postulat sapientiam. Et Salustius, Imperio maximo maximam inesse curam, non abs re dixit. Et adhuc fatendum, quod magnæ fortunæ magna insit servitus, teste Seneca. Eaq; propter M. Aurelius Imperium jure merito magnam vocavit molestiam. Cumq; hæc omnia in ipsa rei veritate aliter sese non habeant: iterum facilis est collectio, & paulò superius nominatum Serenissimum Electorem nostrum in triplici hoc gravissimorum Munerum publicorum augmine hæctenus præ reliquis maximis atq; gravissimis maximarum ac gravissimarum Curarum publicarum ac sollicitudinum interiorum telis impetitū & divexatum: Et eo ipso cum seren: illius Celsit: tum omnibus fidis ejusdem subditis, modò lætitiæ, modò anxietatis materiã natam fuisse uberrumam, ac proinde in illor: omnium occasiones, causas effectrices, & finales jure merito inquire. De Cajo Caligula Romanorum Imperatore IV. historiæ narrant, eundem tanta gloriæ & famæ immortalis cupiditate arfisse, ut etiam palàm queri solitus sit de conditione temporum suorum, quod nullis ea calamitatibus insignirentur: Augusti principatum clade Variana, Tiberii ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum; sui oblivionem imminere prosperitate rerum.

Quod si verò hic ipse Imperator Romanus etiam in temporum suorum calamitate gloriam aliquam ac famæ immortalitatem repositam esse statuit, (verè an falsò hoc ipsum statuerit, statuunt alii) Quis, quæso, tantæ dementiæ, livoristanti, tantæq; invidiæ esse possit, qui negare ausit, Serenissimo Electori Nostro,

ri Nostro, vel ex solo relato tripartito honorum publicorum augmine, gloriæ atq; famæ immortalitatem partam esse longè maximam; Eaq; propter omnes fidos ejusdem vasallos ac subditos reliquos maximo lætari debere opere. Maxumè quando non solum sæpius dictum Serenissimum Electorem nostrum in prædictis molestiis magnis constitutum, verum etiam easdem forti & imperterritò animo ferentem, perferentem viderunt hactenus, & etiamnum hodiè paululum quasi ab iis respirantem & quantum humanitùs fieri potest, sese recolligentem vident atq; deprehendunt.

Licet autem una quævis memoratorum trium quasi extraordinariorum & ex accidenti Serenissimo Electori Nostro obvenientium Munerum publicorum accessio, susceptio atq; exantlatio de per se notatu dignissima, memorabilis admodum, & valdè fuerit ardua: consequenter jure merito in omnium illorum actuum sive Munerum occasiones, causas, & finem diligentior institueretur inquisitio, Nec hoc solum; verum inquisitione hujusmodi privata peracta, publicitus etiam de hinc jure merito certa quæpiam de illis fierent verba publica. Idq; inter reliqua eum potissimum in finem, quò quivis nostrum admirandam & ineffabilem Dei omnipotentis gubernationem & adjutorium divinum atq; benignissimum exinde planissimè plenissimèq; perspicere, debitas eidem ac devotissimas, pro præstito divino auxilio, gratias agere Serenissimo Electori Nostro publica quasi voce, mente, atq; animo gratulari & communi veluti tripudio exsilire valeat. Quia verò omnium illorum actuum specialior atq; diffusior inquisitio, ruminatio & relatio non unius diei, nedum unius foret horæ; quia illorum anteriorum actuum, Vicariatuum nempe geminorum causa & occasio, gemina videlicet proximorum duorum Induperatorum Romanorum

manorum mors, notior, & ex Aurea Bulla certior, quàm quòd aliquis qualem- qualem de illis dubitandi ansam fingere atq; in medium proferre possit. Quia res in illis à Serenissimo Electore nostro gestæ, tantæ, tamq; variæ, simul & laudabiles sunt, ut earundem relatio non unius, sed plurimarum horarum spatia, atq; sic speciale dicendi requirat tempus, econtrà posterior nominatæ Commissionis Executivæ functio, non in animis modò, sed & in oculis penè omnium adhuc obversetur; Nec tamen hætenus omnibus una & eadem de eadem fuerit mens, non una & eadem omnibus sententia: En Ecce! post habitis prioribus illis duobus, hujus potissimum materiam hîc nunc apud vos publicitùs ediffertare, & eo ipso, Deo Ter-Opt: Ter-Max, Autore & Fautore uniter unico, Trophæa Saxonica- Septemvirali- Regio-Cæsariana, Illa nempe, quæ Dei altipotentis prorsus divina, ac singulari benedictione, & adjutorio, Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus JOHANNES GEORGIUS Saxonix, Julix, Clivix & Montium Dux, Sacri Romani Imperii ARCHIMARSCHALLUS ET ELECTOR, Landtgravius Thuringix, Marchio Misnix, Burggravius Magdeburgensis, Comes de Marca & Ravensburg, Dominus in Ravenstein, &c. Dominus noster Clementissimus, non ita pridem Loco ac nomine Invictissimi ac potentissimi principis ac Domini, Domini FERDINANDI II. Sacri Rom. Imperii Induperatoris, nec non Ungariæ, Bohemiæq; Regis augustissimi, tanquam augustissimus ac constitutus Commissarius, ab utriusq; Lusatix Marchionatibus, inferioris itidem ac superioris Silesiæ Ducatibus, nec non Glacensi Bohemiæ Regni Comitatu primario, uti & omnium horum territoriorum ac Regionum Toparchis, atq; Proceribus civitatum inibi situatarum suffraganeis atq; primoribus, omnibus deniq; illorū incolis & subditis ineffabili & nunquam

quam intermoritura laude reportavit, hæc, inquam, tam latissima simul ac latissima, & quod maxumum meritò reputatur, maximam partem incruenta TROPHÆA SAXONICA-SEPTEMVIRALI-REGIO-CÆSARIANA memorare ac de illis publica quæpiam verba apud vos facere vehementer cupio.

Et si animum meum & frontem consulo; næ consulentes hi, me hoc ipsum jure-merito facere respondent, & insimul me non irrita ventis daturum verba spondent. Quando etiam curtam ingenioli mei supellectilem & extremam in dicendo tenuitatem agnosco, & sponsioni, responsioniq; illorum internæ, internè illis oppono, adhuc tamen prædicti illi consulentes, omnem lapidem movere satagunt, & econtrâ mihi cum utilitatem, tum necessitatem publicam, ob oculos ponere non desistunt: promptitudinem item & summam in audiendo lenitatem vestram, ne quid de aviditate dicam, plenis, quod ajunt, buccis deprædicant, & horum adminiculorum intuitu, me bono, atq; intrepido animo esse jubent. Addita confirmatione longè graviori alia: quod videlicet tale quipiam pietas in Deum, Reverentia & gratitudo in Serenissimum, Charitas deniq; in patriam & proximum non à me tantum, Sed & à quovis alio pio atq; fideli servitore & subdito petant, expetant, exigant, atq; exposcant. Præterea his tam plurimis atq; gravissimis autoribus & rationibus amplius reluctari atq; diutius resistere velle, abjecti & desperati, quinimò vesani & ingrati potius, quàm modesti genii foret atq; ingenii. His itaq; omnibus præmissis, ac ita stantibus; Fiat nunc, quod Dei Omnipotentis-Maximi instinctu primario, hac vice effectum dare discupit animus meus. Fiat, quod tot, tamq; prægnantes causæ ac rationes fieri urgent. Et ut hoc ipsum

in ipsius Dei omnipotentis æternam ac debitam laudem & gloriam, certissimam Reipubl: salutem, Serenissimi Electoris Nostri nunquam intermoriturum honorem, ac dignissimum partæ Victoriæ præconium, omnium deniq; posterorum incrementum & utilitatem eximiam fiat, cedat & vergat, Deum Trinunum & Maximum intimis cordis suspiriis & devotissimis animi precibus supplex invoco & defatigo. Vos autem P. C. summâ, qua possum ac debeo, animi submissione deveneror, atq; rogo, velit haud gravatè hoc meum quale-quale factum in meliorem partem interpretari, ac consequenter præsentem hanc meam oratiunculam, eâ, qua reliquorum ex hoc, vel simili loco, verba ad vos facientium, verba, benignitatis & attentionis aurâ provehere soliti estis, similiter prosequi, & illis, quæ in proposita materia, ac paulò ante allegato themate dicturus sum, mentium & aurium vestrarum vacivas ædeis impertire; certissimè scientes atq; credentes, quod, si ea, quæ brevibus hisce petii verbis, feceritis, & me magna sollicitudine sublevaturi, multòq; alacriorem ad dicendum reddaturi & rem consuetudine & laude vestrà antiquâ dignam facturi, atque hoc ipso effecturi sitis, ut in immortalis FAMÆ fano tabella, Musarum manibus elaborata, suspendatur cum hac inscriptione:

BENIGNI ET ATTENTI OMNIUM in Septemvirali - Saxonico-Misnensi Gymnasio habitarum Orationum AUDITORES N. N. N. N.

Atq; ut hinc stamen & subtemen præsentis hujus orationis texere incipiam; libenter fateor, & quidni faterer? cum hoc ipsum, vel ex solo verborum præcedentium intuitu cuivis patere possit, quod res illa, istudq; thema, de quo impræsentiarum

tiarum me nonnulla verba apud vos habiturum esse, paulò
 antea dixi, non solum de per se tam grande, tamq; grave sit,
 ut illud ipsum, vix ac ne vix quidem, ab ipso Pericle, aut
 Demosthene, si adhuc in vivis essent, prodignitate tracta-
 ri valeret; Verùm etiam tantam tamq; diffusam dicendi ma-
 teriam, quinimò tantam tamq; amplissimam materiarum
 aliquam copiam atq; seriem contineat, tot perorandi capita
 complectatur, tot necessaria, ac probè ponderanda & expli-
 canda membra comprehendat, ut vel solus illorum selectus,
 quot, ac quænam ex omnibus illis præclarissimarum materi-
 arum capitibus, præ reliquis, tractanda quis suscipere vellet,
 negotium facefferè, nedum quod aliquis plenariam ac libe-
 riorem illorum omnium tractationem, maximè in tanta
 temporis angustia, quali nos circumscripti sumus, sibi pro-
 ponere, multò minus effectum dare possit ac debeat; con-
 sequenter & hoc fatendum, quod neutrum horum à me,
 ne promitti quidem, nedum præstari possit. Quia verò in-
 terim de hoc, & non alio themate, hac vice omninò ali-
 quid in medium adferendum est, & quidem ita, ut cum con-
 venientia & propriè ad hanc rem pertinentia, tum vera atq;
 jam dum antea ipso facto expedita, ipso opere præstata, non
 præstanda, non expediunda deinum, multò minus ficta, & ar-
 te quadam excogitata, uti & nec ἀλλότρια, & ab hac re
 prorsus aliena dicantur; non abs re me facturum, & simul
 tam officio meo suscepto, quàm expectationi vestræ me satis-
 facturum esse, persuasum habeo, si, reliquis, quæ hic uber-
 tim occurrunt, materiis omnibus posthabitis, de insequentibus
 potissimum tribus capitibus sermones apud vos meos insti-
 tuerem.

I. Qua

- I. Qua occasione videlicet, & quibus de causis Serenissimus Noster Elector Bellum contra utriusq; Lusatiae Marchionatus, uti & contra geminos Inferioris & Superioris Silesiae Ducatus, & belli hujus Consortes reliquos, susceperit.
- II. Quibus mediis, remediis atq; adminiculis idem ille Serenissimus Noster in suscepto Bello usus sit.
- III. Qualem hoc ipsum, contra praedicta territoria susceptum, Bellum fortitum sit eventum.

Hæc, hæc orationis hujus meæ ordinaria ac primaria erunt capita, à proposito, ut opinor, themate, non abhorrentia, ad Illustrationem ejusdem haut parum facientia, non indigna relatu, auditu non injucunda, scitu omninò necessaria. Si enim secundum quorundam opinionem & magis vulgaram derivationem grammaticam, Bellum κατ' ἀντιφρασην, quasi minimè bellum, dictum est, eo quod nihil boni, neq; belli in sese habeat, nec alia ratione bellum possit esse vel dici bellum, quàm Furiae Eumenidæ; facilumè exinde talis colligatq; extrui potest conclusio; quod hujusmodi rei non bellæ neq; bonæ, non omnes æquè homines, multò autem minus Christiani principes, operam dare debeant: maxumè adversus eos, qui & ipsi in Sacrosancti Baptismatis unda & opere, Christo Jesu sua dederunt nomina, & sub unius ejusdemq; Fidei vexillo nobiscum ad salutem militant æternam. Quod si autem aliquis, grammatica hac derivatione relicta, & conclusione inde
formata

formata posthabita, cum aliis statuere velit, bellum sic appellari, quod res bona sit, & ad pacem comparata, hunc ipsum ergò quidem, cum suis autoribus, suo sensu abundare facile patior; interim tamen adhuc dicendum esse puto, non promiscuè omnibus, nec temerè, nec omni tempore, bellum suscipiendum esse, verùm illud semper certas ac gravissimas, simul & justissimas causas ac rationes præcedere, suadere demùm, ac persuadere debere. Attento, quod bellum repentè, semelq; quicquid est lætum, quicquid pulchrum obruat & extinguat. Considerato, quod bello omnia mœreant, frigeant artes opificum, nullus honos studiis habeatur, leges sileant, rideatur humanitas, æquitas contemnatur, negligatur Religio, & nullum planè sacri ac prophani sit discrimen. Imò bellum malum sit omnium multò deterrimum, tam perniciosum, ut unum vincat omnia, tam fœcundum, ut unum in se contineat universa? tam pestilens, ut non minus impios faciat, quam ærumnosos: ut miserrimos reddat, nec tamen miserandos, nisi hoc, qui minimè volunt, & maximè sentiunt. Perpenso, quod cujusvis belli exitus dubius sit, & etiam justissimum, singularia quæpiam sequi possint ac soleant incommoda atq; mala. Sic Moyses, sic Gideon, sic Josua, sic David, & alii in sacris literis celeberrimi Herôes, bella quidem gesserunt, at non nisi justissima causa præcedente & extrema necessitate urgente. Nec prædicti hi viri, unum saltem, aut alterum, sed numero plura, factu ardua, effectu præclarissima, susceperunt, gesserunt, & ad finem perduxerunt bella: Et tantum abest, ut hoc ipso Dei omnipotentis iram incurstârint, ut & prædicta bella, ipsius Dei jussu & voluntate, ipsaq; ut dixi, necessitate urgente, debitè suscipiendo & fortissimè gerendo, ab ipsissimo Deo præclarissima retulerint atq; nacti sint honorum sive

D

Nomi-

Nominum Encomia: quippe quis tam impius & planè atheus est? qui ex sacrosanctis non sciat literis, eam, & nullam aliam ob causam Moysen fortem, Gideonem Magnum, Josuam Justum cognominatos fuisse, quàm quod prælia Domini tam fortiter, & intrepidè pugnârint. Sic etiam aliæ gentes, & inter illos saniores Ethnici, potissimum verò potentissimi Romani, non quibusvis, nec leviusculis de causis, sed plurimis atq; gravissimis rationibus concurrentibus ad arma profilierunt; Quamvis & hoc negari non possit, quod nonnulla horum bella atq; prælia prædæ potius quædam & rapinæ, quàm bella Heroica fuerint, & quædam ex illis ampliandi saltem regni, non defendendi gratia, suscepta sint. Illorum autem, ut maximè necessitate urgente, ab illis gesta fuerint: non tamen semper ex voluntate successerint, pro ut hoc exemplis aliquot illustrari & comprobari specialius posset, ni paulò remotiora illa à proposito esse conserem, & jamdum Apellæum istud inaudire viderer: manum de tabula! ac proinde ad causam & casum nostrum præsentem potius redeundum esset.

Non est ergò, quod autumetis P. C. Serenissimi septemvirum nostrum præterito tempore bellum (Eri! & Evax!) præteritum, præproperè, aut proprio motu, vel Marte suscepisse, non est, quod animum inducatis vestrum, illum præcoci aliquo impetu, ac perniciosissima atq; vanissima habendi cupiditate, ad arma profiliisse. Non est, quod cum a dversariis & scurris, nescio quibus, in has cogitationes, multò minus ipsissima prorumpatis verba, sive convitia, quasi hoc ipsum Bellum ad Papicolarum nutum, eorundemue in honorem, ac defensionem, aut alia quadam fictitia de causa, susceptum fuerit. Minimè gentium! Errant, & toto celo errant! qui talia de Serenissimo nostro, non dicam, propalant atq; eliminant, sed qui
illa

illa intus & interius etiam in corde saltem suo secum cogitant, excogitant, & mussitant. Falluntur & fallunt! qui talia de Serenissimo Nostro Electore, impudico & planè mendaci ore, apud exteros spargere, disseminare, iisque pro veris obtrudere non erubescunt, tentant, laborant, uti & illi, qui taliter falso sparsa, disseminata, atque pro veris obtrusa, pro talibus arripiunt, credunt, probant, & adprobant. Longè quippe aliter hæc res sese habet, & negari non potest, nisi quis Solem ipsum in media meridie lucere simul negare velit, quod Serenissimum Nostrum Septemvirum, ad bellum hoc suscipiendum plurimæ, eaque gravissimæ causæ impulerint; Uti & hoc, quod illæ ipsæ, etiam nunc hodiè pro eodem magnis & infinitis militent copiis: quas si omnes, ordine succenturiato, in medium ut necessitas & æquitas postulare videntur, producere, & vobis spectandas atque examinandas exhibere vellem: metuendum certè, ne dies me citius, quàm mens, quàm animus, quàm charta, deficiat. Neu tamen quis suspicari, ne insimulare me, dicam, jure possit, quasi hæc omnia, absque omni fundamento à me in medium adferrentur, ne præallegatæ causæ belli hujus impulsivæ vos omnes lateant, sed vobis potius una mecum, si non omnes, ex pluribus tamen quædam pateant, earumque cognitione & intuitu posthac prædictas Bambalionum sinistras cogitationes, garritus & gannitus e mentitos, alto supercilio spernere, & ex Pisisstrati sententia, illis non aliter succensere queatis, quàm si quis obligatis in vos oculis occurrisset, nec alium iis in animis vestris relinquatis amplius aculeum, quàm olim in flumine vestigium cymba; Ecce! unam saltem atque alteram prædictarum causarum impulsivarum ordine, & veluti sub signis educam, reliquas vestræ discretionis, atque exquisitissimo judicio excogitandas, ac dijudicandas relinquens.

D 2

Cæterum

Cæterum ex illis, quas, jam relato modo, educere in animo habeo, duplex sese Electori nostro in principio exhibuisse videtur agmen, ex quibus alterum personas, earundemq; qualitates & officia: Res in bello hoc necessario considerandas, representavit, eidemq; Serenissimo ob oculos posuit, alterum. Nec hoc tantum, sed & quodvis eorum Serenissimo nostro singulare calcar, & stimulos ad armorum susceptionem ardentiores addere laboravit. In primo quippe, personas hujus Belli principaliore, earundemq; qualitates, & officia, concernente agmine, procul dubio in acie stetit AUGUSTISSIMA & modis omnibus facta tecta; servanda AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ROMANI AUTORITAS, quippe à qua una & unica, post Deum Omnipotentem, totius Christiani orbis & omnium illius membrorum, vel augmentum, vel decrementum, vel lapsus ac interitus, vel constans harmonia pendere videtur, imò omninò, ac revera pendet, meritò ergò, & hic primo loco à me adducta fuit; Hanc dehinc credium presso, quod ajunt, pede actutum comitata est TOTIUS IMPERII ROMANI vacillantis ac titubantis Lex suprema, sive SALUS PUBLICA. Et hanc vicissim, procul, excepit SACROSANCTUM & nullo modo violandum Serenissimi Nostri, quo Cæsareæ Majestati & jam dicto Romano Imperio cum reliquis Electoribus devinctus est, JURAMENTUM; Comittem indissolubilem secum ferens, EXPRESSAM iisdem in rebus dubiis, & casibus adversis, OPTIME CONSULENDI, ET DEBITE SUCCURRENDI OBLIGATIONEM; Adfuit præterea INTERNUS CONSCIENTIÆ STIMULUS & vigore ejus DEBITA jussu ac mandato superioris parendi OBEDIENTIA. Quibus omnibus accessere, maximæ illæ geminæ cum ELECTORATUS, tum ENSIGERI DIGNITA-

TES,

TES, ac his ipsis DUPLEX juratò affixa & adnexa officiorum
 RATIO, eorundemq; modis omnibus necessaria realis EXE-
 CUTIO. Ne quid de antiquis & quasi hæreditariis Austriacæ
 & Saxonæ-Electoralis, celsissimarum Domuum amicitiiis &
 ab antiquo juvandi sese invicem studio, ne quid de pactis illis
 veteribus, 28. Junii Anno 1571. inter Maximilianum ab una,
 & Augustum Electorem, ac Johannem Wilhelmum Ducem
 Saxonæ, eorundemq; omnium subditis ab altera parte, initis,
 ac postmodum 20. Aprilis Anno 1579. cum Rudolpho II.
 nomine Augusti Electoris, & tutorio nomine Friderici Wilhel-
 mi, Johannis, Johannis Casimiri, & Johannis Ernesti, per Bur-
 chardum Comitem & Dynastam de Barby & Wühlingen/Tham
 von Sebottendorff in Rothweindorff/ Sac. Rom. Imp. Ararium
 & D. Wolfgangum Eulenbeccium in Cösig/ utpote prædictor:
 Dominor: Electoris & Ducum Legatos celeberrimos, reno-
 vatis, aut aliis similibus, ad primum hoc agmen pertinentibus
 causis dicam, & eo ipso fors aliis cavillandi ansam præbeam. Ast
 quorsum hæc! inquitis, & quid præcedentia generalia ad causam
 & casum præsentem faciunt rerum capita? Nonne pro imple-
 mento præmissorum ac promissorum ad speciem magis &
 ipsum factum devenire, nonne allegatas belli hujus causas ple-
 nius planiusq; explicare, conveniebat, expediebat? Ita fateor!
 ita adhuc faciundum censeo, quinimò ita paulò post facere in
 animo habeo. Interim tamen nec præmissam generalitatem,
 & subordinatam causarum seriem absq; omni prorsus causa,
 absq; omni prorsus ratione, absq; omni deniq; prorsus fructu
 insertam esse testor & adhuc fore spero, confido. Ad speciem
 autem nunc deveniundo; Uti omnem alium Magistratum su-
 periozem legitimum atq; ordinarium, ita præ reliquis omnium
 maximè ipsum Induperatorem Romanum Deum terrestrem,
 D 3 cūm

cùm in sacrosanctis literis, tum apud saniores Ethnicos, & alios scriptores probatissimos, non solum verbis appellari; sed & re ipsa pro tali haberi, agnosci pro tali debere, notius est, quam quod ulla aliqua locali confirmatione indigeat, quod si sic, ut revera non aliter est, quis sanæ mentis inficiabitur, eundem ab omnibus non modo inferiorum, sed etiam majorum gentium vasallis atq; subditis, debitè observari, coli debere? quis negabit, eundem citra extremum totius Reipublicæ periculum, ne à minimo aliquo, nedum à superiore quopiam subdito, ne dum à Provincia aliqua, nedum à populis aliquot sperni, temni, contemni, multò minus ipso facto lædi posse aut debere, quis negatum ibit? ipso facto siquid fiat, non solum gravissimè in ipsam Induperatoris personam, sed & maximè in Divina Dei Omnipotentis præcepta peccari, rem pessimi exempli committi, ac consequenter salutem & tranquillitatem publicam turbari, aliis flagitiis fenestras aperiri, & consequenter non temporales modò, sed insimul æternas provocari prænas, easq; non nunquam etiam in insontes atq; innocuas derivari personas. Cumq; præterea Deus omnipotens non solum ipsi Imperatori tanquam capiti supremo jus gladii, ac vitæ necisq; potestatem in facinorosos divinitus concesserit; verùm etiam divina sua, & imperscrutabili sapientia Imperii Romani formam ita ordinarit, ut vigore Auræ Bullæ prædicto Imperatori tanquam capiti, alia septem membra præcellentiora & splendissima validissimaq; Imperatoris fulcra, columnæ atq; bases adfixæ, adnexæ, & mediante Sacrosancto Jurandi Sacramento spiritualiter copulatæ sint, quæ usitatori nomine Romani Imperii Electores insigniri consueverunt. Maximè autem in modò relata jurandi formula inter reliqua capita etiam hæc expressæ & gravissimæ continentur clausulæ; quod regni utilitatem curaturi, hostibus ejus se non

se non solum verbis, sed ipso facto etiam opposituri, Imperatori in omnibus casibus & causis, animarum periculum concernentibus exceptis, debite obtemperaturi sint, & illi fideles ac morigeri in omnibus esse velint. Prout hac omnia sequens Juramenti tenor & verba ejusdem formalia ad literam usq; & aliquantò fusius ob oculos ponunt cuiq; legenti pleniora, certioraq; reddunt, quæ Latino nostro Idiomate sic se habent: Ego juro, quod nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in persona aliquam lationem vel injuriam, vel contumeliam: vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis. Et si scivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid istorum contra te facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum præstabo: & si impedimentum præstare nequivero, quàm citò poterò, tibi nunciabo, & contra eum, prout poterò, auxilium meum tibi præstabo. Et si contigerit, te Rem aliquam, quam habes, vel habebis, injustè vel fortuitò casu amittere, eam recuperare juvabo, & recuperatam omni tempore retinere. Et si scivero, velle te justè aliquem oppugnare, & inde generaliter vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut poterò, præstabo auxilium. Et si aliquid secretò mihi manifestaveris, illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam. Et si consilium à me super aliquo facto postulaveris, illud tibi dabo consilium, quod mihi videbitur magis expedire Tibi: & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuam tuorumq; injuriam & contumeliam. O gravissimum simul & arctissimum membra cum suo corpore conglutinandi vinculum! quod non potest non gravissimos in animo relinquere aculeos: Attento, quod Juramenti Sacro sancti violatio certissimè



finem Deum ultorem habeat. Consequenter illud ipsum cui-
 vis, cui animæ suæ salutis curæ ac cordi est, non conscientia
 saltem stimulus sit interior, sed & ad obedientiam debitam
 præstandam stimulos addere possit ac soleat alacriores. Plura
 circa Juramenti hujus materiam & enodationem ejusdem ne-
 cessariam hic adderem, nisi Moneta aures mihi vellicaret, &
 ut primo huic causarum impulsivarum agmini, paucis adhuc
 in eo reliquis adjectis, finem imponerem, moneret, monitio-
 nisq; suæ fundamentum, vestrum nempe imminens auscultan-
 di tedium, plurimis urgeret. Ne ergo hoc ipsum hic quasi in
 principio provocetur quoad Juramenti gravitatem nec non re-
 rum in eo contentarum magnitudinem simul & copiam largis-
 simam, nihil addo; verum brevissimis hic subsisto, quoad pri-
 mum hoc causarum impulsivarum agmen hoc saltem adne-
 ctens, quod cum Electoris Electoralis, non nudum tantum modo
 quoddam Electoratus hujus Saxoniae insigne, sed ideò potissi-
 mum huic & non aliis Electoribus attributum sit, atq; conces-
 sum, ut taliter investitus, in rebus arduis, & publicum Roma-
 ni Imperii statum spectantibus, Cæsareorum & Imperii Roma-
 ni Mandatorum executor esset actualis, fideles & obedientes
 ejusdem Rom: C. Majest. & Imp. subditos legitimis mediis,
 remediis & adminiculis defenderet, contumaces verò & rebel-
 les, debitis poenis cõerceret, & ad obedientiam debitam com-
 pelleret: Atqui subsumendo Inviçtissimus Imperator Romanus
 Ferdinandus II. præteritis annis, non solum à Bohemis & Con-
 sortibus, quatenus Rex Bohemiae, de sua regali dignitate &
 possessione regnorum vel quasi ipso facto dejectus, verum
 etiam quatenus Imperator Romanus pluribus affectus sit in-
 juriis: Insuper ab iisdem variis modis in ipsum Romanum Im-
 perium, & saluberrimas ejusdem constitutiones peccatum, ac
 proinde

proinde tandem res eò devenerit, ut Serenissimus Elector Noster non solum officii sui publici seriò admonitus, pro executione ejusdem reali imploratus, sed etiam ab ipso Imperatore Commissarius constitutus, & confirmatus fuerit, vel hoc respectu seren: illius Celsi: provinciam hanc ut maximè durissimam negligere non potuisse. His autem omnibus præsuppositis atq; stantibus, quis est, qui dubitare amplius velit, aut jure possit, & numero plures, & pondere gravissimas belli suscipiendi causas, pro Serenissimo Electore Nostro militare, & eidem calcar ac stimulos principio addidisse ardentiores: Atq; hæc de primo sæpius dictarum causarum impulsivarum agmine dicta sufficiant.

Ad alterum causarum, quod dixi impulsivarum agmen, res ipsas concernens, progrediundo; circa illud procul dubio, in procinctu & principio sese conspiciendam exhibuit, salvifica & singulari Dei omnipotentis clementia, in ultima hac mundi senecta divinitus nobis revelata RELIGIO, vulgato nomine, LUTHERANA dicta, subtristi vultu caput interram inflectens, & Serenissimo Electori Nostro querulis verbis referens, quantis, quamq; multivariis hinc inde ab utroq; latere, cum à Papicolarum, tum à Calvinianorum hostili turba impetatur modis, Eaq; propter tota, tota inter sacra saxaq; hæreat, quin imò vitam mortemq; inter sedeat, & jamdum, tantum non extremè animam agat, addito conditionato hoc quasi Vale, quod si in hoc ingenti discrimine à serenissima ejus Celsitate dejuvaretur, omnis eam spes teneret, viduitas, & dubio procul actum cum ea omninò foret; denuò ergò opem atq; suppetias Seren: Elect: Nost: humilumè imploravit, iisq; denegatis, abitum ad superos necessariò parandum esse prædixit! Nec procul opinor, hic abfuit, sed ocreata, credum, juxta

E

hanc

hanc & ad latus stetit, PAX OPTIMA RERUM, & gemebunda sese illius indivisam comitem ac pedissequam futuram esse, declaravit, n̄i arma sumerentur, atq; Tyrannis, una cum savitiis in Romano Imperio motis, capitaq; sua Indies altius atq; altius erigentibus & latius latiùsq; serpentibus, armis obviando cispellerentur, funderentur, atq; disicerentur penitus. Etenim capitalibus hujus ejusdem hostibus non fugatis, neq; prostratis, fieri non posse, ut sub ejus PACIS nempe, tutela atq; patrocinio, quemadmodum haectenus, ita amplius & in posterum, Sacrosanctum Imperium Romanum, celsissimum, augustissimumq; suum Caput ad Coelos usq; supernos attolere, & omnia ejus membra, Proceres, atq; incolæ tulò ad utramvis aurem dormire, in Ecclesia fidissima animarum nutrix, fidei nempe concordia, in politica pulcerrima rerum gerendarum harmonia ac concentus suavissimus, in Oeconomia amabilis consensus, conservaretur, vigeret, floreret, cresceret. His sese itidem ad utramvis parata, divino sub æquilibrio conjuncta JUSTITIA, plusquam muliebri ejulatu quiritans, eò rem redactam esse, ut ne suprema quidem & summa totius Christiani orbis capita, ab impiorum, foedifragorum, perjuratorum ac seditiosorum hominum immanitate atq; Tyrannide tuta sint, atq; immunia; quinimò prædictorum hominum non hominum, sed bestiarum, violentam audaciam, & temeritatem truculentam, eò usq; processisse, ut semel benedictum & solenniter inauguratum caput ac regem, regali diademate privare ac spoliare, Eundem dominio atq; Jurisdictione, omnimoda, omnium regalium, provinciarum, gentium & subditorum possessione, vel quasi, non clam, non precario, sed vi & quidem ablativa, aperta, & publica de facto dejicere, sese nullo solido titulo antecedente, in illius prioris locum dignitatem

tatem & præminentiam evehere, privilegia atq; immunitates longissimo tempore partas, atq; præscriptas immutare, immi- nuere, & nonnullas prorsus intervertere, tollere, Census ac redditus publicos sibi suisq; usibus adscribere, incolas & subdi- tos novo quodam homagio sibi obstringere prius, violare, re- cusantium bona confiscare, in innocuas mulieres, & imbelles infantes truculentissimè sævire, omni jure prohibitas pactio- nes & fœdera, cum abjuratis & infensissimis Christiani nomi- nis ac Religionis hostibus inire ac pangere, &, ut unico verbo, quod res est, dicam, supera infera reddere & cœlum terra mis- cere, nullum prorsus nefas ducatur, verùm remotis pudoris repagulis, quodvis prædictorum flagitiorum, à quovis malitio- sissimè tentetur, conetur ac perficiatur, ac proinde sese hujus rei spectatricem diutius esse non posse declarans.

Ut reliquas, quæ sese in posteriori hac causarum impulsiva- rum agmine, omni dubio procul, Serenissimo Electori Nostro, ubertim adhuc exhibuerunt, causas brevitatis studio, taceam. Quamvis nec illas exigui momenti, & ponderis fuisse levioris, nescio, unde suboleam. Nec enim est, quod siluisse putetis, tum in publicis officiis constitutorum hominum, tum priva- tam vitam viventium *SUSPIRIA*, *THRENOLOGIAS* & anxietatis plenissimas *QUERIMONIAS*; non est, quod ani- mos inducatis vestros, quasi vindictam implorare oblita sint, aut intermiserint, tot hominum millia, tam *VERBALES*, quam *REALES* incussa *INJURIAE* atrocissimæ; Eo minimè! Non intermisere hæc pro impetranda vindicta debita, continuas su- as implorationes; nec pro liberatione & restitutione conse- quenda, siluere illæ: Verùm indefessis atq; indefinentibus pre- cibus ac sollicitationibus si non externis, internis tamen, cum Deum Optimum maximum, tum Serenissimum Electorem

E 2

Nostrum

Nostrium defatigarunt atq; deveneratae sunt, vellent ipsis, in tantis tamq; gravissimis anxietatibus atq; periculis, clementissimè succurrere, & injuriarum suarum finem facere, easq; tandem aliquando, divina benignitatis atq; clementiae suae aura, ope & auxilio, cum quoad fortunae, tum quoad corporis & animi bona ac dona in integrum restituere. Haec illae.

Intellexistis nunc P. C. quot, quantis, & quam gravissimis de causis Serenissimus Noster Septemvir ad suscipiendum hoc Bellum commotus, adductus, imò pertractus & coactus fuerit? Ita opinor, ita credo, ita de majore vestrorum parte judico & spero.

Quod si tamen fors, praeter spem & expectationem, aliquis adhuc vestrum esset, & inter illos quispiam inveniretur, qui scopum & intentionem hanc meam nondum satis intellexisset, aut per generalia haec rerum argumenta, & generales eorum designationes, toties allegatas causas Belli hujus impulsivas, non sufficienter consequi potuisset, ac proinde ulteriori & specialiori indigeret informatione, Ecce! hunc pro capienda atq; arripienda ea, ad regionis hujus nostrae aditos incolas, & vicinos Bohemos primum remissum volo, & dehinc, ut sedulo secum animo perpendat suo, jubeo, quid in illa natione, gente ac Regione Bohemica, per triennium, aut praeterpropter, rerum ortum, gestum, actum, perfectum, retractum, attentatum, renovatum, annullatum, & nescio quid non? tentatum sit.

Nullus dubitans, quin his omnibus diligentius atq; fusiùs perpensis & cum antea dictis collatis, mox, ni prorsus bardus atq; blennus foret, deprehensus sit, quid egomet per enumerationem antecedentium voluerim, & quorsum illis ipsis undiq; collinearim, atq; respexerim.

Quod

Quod si aliquis ne hanc quidem, privatæ Bohemicarum rerum ruminacionis, ac interioris earundem cum prædictis collationis provinciam in sese suscipere velit: Amabo! hic ad minimum sese, insequentium rerum illarum Bohemicarum capitum principaliorum, à me moneri patiatur, monentiq; aures impertiat patulas: & dubio procul, confestim idem, quod jam dixi, consequetur. Nonne quippe, fateri mecum, necessum habebit, ante quadriennium, plus minus, tantas primitiùs in ipso Bohemico Regno intestinas dissensiones gliscere cepisse, quales vix antea unquam aperto, ut tritum sermone innuit Proverbium, Marte sese exhibuerunt? Nonne fateri cogetur, homines ejus gentis, quos sub utraq; vocant, cum iis, qui sese sub una nominant, in tantum suspicionum metusq; publicæ alicujus instantis oppressiõis, ac penitissimæ everisionis, labyrinthum incidisse, ut sese ne sequentibus quidem annis exindè extricare valuerint, & voluerint: verùm adhuc hodiè Ariadnæo quasi filo opus habeant. Nonnè in ruminacione ejus status pergendo deprehendet, hoc malo intestino publicè notum fieri incipiente, ex dissensionibus & odiis illis, jamdum antea intestinis, bellum quasi quoddam intestinum nasci ac oriri, regiminis istius regionis formam paulatim immutari, Religionum in pacis publicæ tutela Imperiali constitutarum, inibiq; florentium causam magis ancipitem, magisque duram ac præduram fieri, unionis quæpiam ut vocant, pacta, inter tres ejus gentis status celebrari cepisse. Nonnè ulterius investigando, & hoc inveniet? Prædicta omnia, scelestissimas aliquas, tam contra primores & potentiores, quin imò etiam contra ipsa regionum istarum ac Reipubl. istius Bohemicæ capita, quam contra reliqua ejusdem membra & inferiores directas conspirationes subsecutas esse? Et has ipsas, brevi temporis

poris spacio, tantas, tamq̄; validas extitisse, ut illæ etiam intra corda, & intra privatos, quod ajunt, parietes, sese continere diutius nequiverint, verùm truculentum suum virus, & vires suas plusquam nefandas, etiam in publicum evomuerint, projece- rint, diffuderint: præ reliquis autem earundem insigne ac me- morabile, nî fallor, specimen sive exemplar publicitûs in eo fuerit editum atq; exhibitum, quando 23. die Mensis Maji Anno post Christum natum 1618. triga quædam virorum sub una, nempe Guilielmus à Schlavvata, Iarislavus Bortzita à Mattinitz/ usitatiore cognomine Schmezanski, & M. Philippus Secretari- us, nescio à quibus (nec hos scire vel mei, vel etiam vestri quic- quam credo interest) per fenestram in Palatio Aulæ Regiæ Cæsarianæ cancellariæ constituto, in terram usq; dejecta seu potius præcipitata fuit, & illi ipsi, taliter dejecti sive præcipi- tati triumviri, vix ac ne vix quidem vitam, quàm Deus Opt: Max: illis in incredibili illo, & antea inaudito casu, imper- scrutabili & ineffabili bonitate atq; modo, salvam servârat atq; integram, fuga amplius servare potuerint salvam & incolu- mem. Factum me Hercules satis notabile! mirabile satis! satisq; opinor horrendum: ast in statu illo turbulento cæpto stylo pergendo. Nonne lippis & tonsoribus etiam adhuc no- tum est? Bohemicam illam gangrænâ, tractu temporis, tam firmas in animis hominum radices egisse, ut tandem etiam totam illam gentem, paucis exceptis, ad rebellionem prius, postmodum in totum ad perjuram defectionem commoverit, pertraxerit. Ne hoc solum: sed & illud, quid instar plus- quam pestilentialis, & contagiosissimi alicujus morbi, etiam alias regno Bohemico adsitas, vicinas, & fædere junctas Pro- vincias, invaserit, infestârit, & easdem ad similia cum Rebel- lionis, tum defectionis crimina perpetranda, incitârit, adde- gerit?

gerit? Nonne optima illa omnium rerum Magistra experientia, etiam pumilos & balbutientes adhuc pueros, nedum adultos ac senes, uberrimè docuit, prædictorum omnium occasione, intuitu, & fomite, non ita multum post, publicum aliquod & plusquam flagrantissimum, truculentissimum, sævissimumq; inter, dum temporis, Invictissimum & Celsissimum Romani Imperii Induperatorem Matthiam ab una, & hos, Bohemiarum Regni aliarumq; adsitaram & incorporatarum, quas vocant, Provinciarum, incolas rebellantes ab altera parte, ortum, & hoc noviter ortum bellum iterum, tantam omnium malorum Iliaden, atq; mare latè-patens insecutum esse, ut etiam, Comici si verbis uti, ut libet, sic credo, licet, præ hoc mare non mare; Bellum autem hoc mare fuerit acerrimum; ac is, qui omnia istæc mala fando persequi vellet, plusquam Iliadem scribere, sive recitare teneretur.

Ego fanè tenuitatem meam libens agnosco, & proinde ultrò fateor, quod, ut maximè hoc, hac vice, tentare vellem: tamen si linguas centum, simul oraq; centum haberem, vix satis haberem, queis malorum illorum, cum insignem gravitatem, tum cumulum ingentem, satis elicere, atq; vobis sufficienter ob oculos ponere possem, valerem. Senserunt hanc malorum Lernam præ reliquis ii, qui in Reipubl: Regio-Bohemico-Cæsarianæ Navi sedentes, fidissimorum nautarum locum obtinuèrunt, & malum atq; vela ejusdem regentes, cursum istius naviculæ Regio-Cæsarianæ, aut Bohemicæ potius Reipubl: ad portum direxerunt Imperatorium, eo animo, atq; intentione piâ, quò inibi, vero ejus portus domino, D. nimirum FERDINANDO II. tanquam legitimo, vero & unico Matthiæ prædefuncti successori, non autem novo aliquo, debitam, cum saluberrimorum consiliorum, tum aliorum fortunæ

tunæ bonorum teloniam exsolvere atq; sic gravissimi illius ipsius Omnipotentis Dei moniti memores, Deo, quæ Dei, Cæsari autem, quæ Cæsaris sunt, reddere possent, laborârunt, & ut etiam reliqua plebs talia faceret, diligentius eum hortati sunt. Experti sunt hanc ipsam, quàm paulo ante dixi, malorum lernam ejusdem navis Regiæ-Bohemicæ-Cæsarianæ fideles remiges reliqui. Ut alios, quos è plebe inferiori malorum hic Imber, & venti hi plusquàm adversi in vasto, infesto & turbulento hoc Reipubl: Regio-Bohemico-Cæsariano pelago nantes, non absq; extremo extremi naufragii periculo irruerunt, ad: & perflarunt, & quasi circumrotarunt, taceam.

Ac ne *ἐκ τῶν ῥιζῶν* minutatim, ac ab ovo, quod dici solet, ad mala usq; omnia rimari, repetere, & historiam potius, quàm orationem aliquam texere velle videar, Ecce! filum rerum, in Bohemia circa initium & progressum hujus Belli gestarum, hîc quatantenus abrumpam, & omnia illa, quæ sub paulo ante nominati Matthiæ Imperatoris olim Augustissimi, Augustissimæ pietissimæq; memoriæ, Augustissimo ac memoratu aliàs dignissimo Imperio, maximè autem, hac ipsa, tum temporis exorta Bohemica tempestate, acciderunt, & præmissis hisce hîc ordine recensendo amplius conjungi possent, silentiū quasi involucris involuam, ac vel una cùm ejusdem Imperatoris Augustissimis exsuviiis in feretro Regio-Cæsariano sepulta jacere sinam, vel eadem illis fusiùs tractanda relinquam, quorum professioni hujuscemodi tractatio quasi propria esse, quorumq; impositorum munerum inevitabilis ratio, talem fusiorem tractationem exigere videtur. Econtra verò à meis partibus transitum ad illa tantùm faciam, quæ Orationis hujus themati magis inservire, & ad rem præsentem magis pertinere, atq; facere deprehenduntur.

Nonne

Nonne ergò, ex Annalibus Bohemicis fide dignissimis, constat, quod prædicti Bohemi, una cùm aliis illorum adsitis & incorporatis, quas vocant, Provinciis earumq; Provinciarum incolis atq; subditis, & inter hos in specie ambo Lusatiae Marchionatus, Gemini Superioris & Inferioris Silesiae Ducatus, nec non regnorum ac Regionum harum Toparchæ ac Proceres, Civitatum itidem celeberrimarum Primores, & prædictorum Territoriorum incolæ, atq; subditi in unum omnes, vivente adhuc, quinimò maximam partem procurante, & volente Imperatore Matthia *ἐν τοῖς ἀγίοις* FERDINANDUM II. jam nuuc hodiè Invictissimum ac Potentissimum Imperii Nostri Romani Cæsarem, ex causis, quas illi meliùs fors, & accuratiùs, quàm ego heic commodè recensere vel possim, vel debeam, norunt, si non impræsentiarum omnes, per Legatos tamen & mandatarios suos sufficientissimè, ut credo, hanc in rem instructos, & ablegatos unanimi consensu, corde, ore & opere, in futurum suum Regem, & Caput eminentissimum elegerint? Factum me Hercules ut opinor, bonum!

Nonne illi ipsi Annales testantur, & adhuc hodiè in recenti omnium penè memoria infixum reperitur, quod illi ipsi Bohemiae Regni & incorporatarum, quas vocant, Provinciarum incolæ atq; subditi omnes & singuli, antea nominatum D. FERDINANDUM II. prædicto debito atq; ordinario modo, in regem & Caput electum, denuò pro legitimo suo, & ipsis, extra omnem dubitationis aleam, singulari Dei beneficio, fato, ac voto communi præfecto capite atq; rege humillimè ac devotè recognoverint? Factum meo iudicio laudabile!

Nonne similiter, ob temporis interstitium, & lapsam non adeò longum sive diuturnum, notius adhuc est & verius? quàm quod negari ab aliquo queat, comprobari verò à me necessum

F

cessum

cessum sit, quod bina vice nominatus D. FERDINANDUS II, à prædictis Bohemiæ, & incorporatarum Provinciarum incolis, atq; subditis omnibus & singulis, si non manu, voluntate tamen publica & communi voto, præviis atq; intermediis consuetis, & in regio illo orbe ac actu usitatis ceremoniis, atq; ritibus, publicitus ad solium evectus fuerit regium? Factum me Hercules non contemnendum!

Nonne plures adhuc oculati, & omni exceptione majores testes, si opus foret, nominari & produci possent? qui oculis suis vidissent, celsissimum FERDINANDI caput regia regni Bohemici Corona redimiri? Nec hoc solum: sed & illud, quod illi FERDINANDO insimul regale sceptrum, consueto more, traditum, fasces, diadema regale, pileus, gladius, hasta, & reliqua inaugurationis hujuscemodi solennis adjuncta minus principalia ultrò oblata fuerint. Consequenter, cum memorati illi testes, tum quivis alius, saniori & incorrupto judicio præditus, ex præstantissimorum omnium Juridico-politicorum certissima & indubitata sententia, nolens volens concludere, ac dicere teneatur, quod sæpius nominatus FERDINANDUS II, per omnes illos actus, & publicam illorum Insigniorum Regalium traditionem, in evidentissimam & certissimam Regni Bohemici ac Regiæ Dignitatis possessionem, vel quasi, immisus sit, & singulari aliquo modo, etiam vivente Matthia pro Rege atq; Electore Bohemico habendus, atq; habitus fuerit.

Maximè, quia prædictis actibus & Ceremoniis, etiam publica in templum deductio, & divino numine invocato, solennis ac publica inauguratio sive unctio subsequuta fuit, & dum temporis devotissimæ, humillimæ & piissimæ acclamationses & congratulationes auditæ fuerunt plurimæ. Ne quid de publicis & magno sumtu adparatis conviviiis, & reliquis, pro more ejusdem

dem gentis, in hujusmodi actibus inauguralibus consuetis pompis publicis dicam! Licet in vulgus etiam notum sit, quana splendidissima ac solenniſſimæ hæ, quàm lautissima, latissimaq; fuerint illa. En & evax! nil præter facta bona! & principia Regiæ hujus dignitatis satis regia! egregia! Satisq; bona, hætenus audivistis! Eorumq;, credum, intuitu nemo sanus aliter, non hariolari demum, sed certo certius adfirmari posset ac deberet, principii hujus undiq; boni, bonum etiam omninò fore vel fuisse exitum sive finem, aut potius intermedium. Sed ô tempora! ô mores! ô fortunam! ô cæcas Polypi mentes! ô homines Protheo magè mutabilioreſ! Quorsum hæc, inquitis, & quidnam sibi talia volunt? Amabo! aureis arrigite, & orationi sive Relationi inſequenti eas vacivas quæſò exhibete, ac cito citius, spero, quid præmiſſæ hæ exclamationes sibi velint, quorsum illæ tendant, percipietis.

Etenim vix ac ne vix quidem animam suam efflârat paulo ante bis, terue nominatus Matthias atq; sic inſimul Imperatorio ac Regio officiis præeſſe deſierat, ac conſequenter vacuum ac plenariam Regni hujus Bohemici ac dignitatis Regiæ poſſeſſionem vel quaſi in unicum FERDINANDUM II. & neminem alium devoluerat; nec hic eandem modis omnibus licitè ambire, atq; amplecti deſiſtebat, nullus dubitans, Bohemos & Conſortes prædictorum actuum omnium memores, illum ipſum actualiter in ſapius dicti Regni Bohemici ac regiæ dignitatis poſſeſſionem vel quaſi ad-ac-intromiſſuros. At ecce! tantum abſuit, ut prædicti Bohemi, cum Conſortibus accolis, & incorporatis populis reliquis, ſapiſſimè dictum, ritè electum, publicitus recognitum, conſueto more ad ſolum regium e- vectum, coronatum, unctum & omnibus aliis regni illius Inſig- bus redimitum atq; donatum Regem ſuum anteriorem & verè legitimum

legitimum FERDINANDUM II. jam nunc Invictissimum nostrum Caesarem Romanum pro suo amplius recognoscere, habere & ad vacuam, morteq; Matthiae p. m. plenarie in hunc unum devolutam possessionem vel quasi regalem, admittere voluerint; ut etiam in continenti, eandem ipsi prorsus denegarint, & publicè planè contrarium sint professi.

Nec hæc solum accidit animorum atq; mentium metamorphosis; verum ita animum in illum FERDINANDUM II. prius propensum, postmodum mutatam ac planè aversum gesserunt Bohemi & Consortes, ut etiam in ipso (ne quid de anteriori paulò tempore dicam, & bilem ipsis fortè an per ea moveam) quo Bohemicum regnum vacare cepit momento, illi ipsi, non attento, quod jam dum Regem in promptu haberent ac parato, ritè electum, publicitus recognitum, coronatum, unctum actutum mente, ore, atq; opere de alio novo, atq; sic Tertio aliquo Rege quarundo nimium fuerint solliciti.

Hinc missis ad diversa loca Legatis, mox huic, mox illi, vel obliquè, vel directè blandidicis, ac splendidissimis conditionum coloribus, Coronam Regio-Bohemicam, ac una cum illa omnem ejus regni Majestatem, simul & potentiam, atq; cum his Privilegia ac Regalia reliqua omnia, non sine sanguine, nece, ac interneccione multorum aliorum, tertio cuiquam offerre non erubuerunt.

Quinimò eò usq; , ipsos adactos esse, compertum, & in vulgus notum factum est, ut suis tantummodo consiliis suisq; saltem viribus confidentes & has fortasse potentiores, quam re ipsa erant sibi imaginantes, illa verò uniter ac unicè pro justissimis, prudentissimis ac verissimis falsò agnoscentes, nimium sectantes, atq; effectum reddere conantes, Reliquorum omnium, cum ipsis bona intentione, bona fide, bono itidem & candido

candido animo communicatas salutares monitiones, ad- ac
dehortamina flocci fecerint, nauci habuerint, & altissimo spre-
verint supercilio. Primum opinor, ac certissimum magni
alicujus insecuturi mali, malum omen, ac prævium testimoni-
um infallibile! Cui de in, non minori, ut credo, malo omine
successit alterum.

Quis enim nescit, Bohemos, & reliquos ex illius regni,
ac adsitaram Provinciarum Incolis Directores eò usq; omnem
pudorem exuisse, ut ne quidem ab aliis, maximè autem à to-
tius orbis Christiani clavum pro tempore optimo jure gerenti-
bus, optimo jure facta, & rationibus optimis effectum reddita
pro legitimis, jure consentaneis, & in eo optimè fundatis acti-
bus & factis agnoscere amplius valuerint, ac voluerint, verum
illis pretinaciter sese opposuerint ac publicè contradicere non
sint veriti.

Exemplum vultis P. C. & evidens rei hujus testimoni-
um? En agite! notabile vobis, & nî me mens egregiè fallit
mea, vobis antea notum, & apertum quoddam referam. Cùm
enim post obitum Imperatoris Matthiæ p. m. Reverendissi-
mus atq; Illustrissimus Elector Moguntinensis, per Germani-
am nostram ArchiCancellarius, Jure ac vigore Aureæ Bullæ,
inter reliquos Imperii nostri Romano-Germanici Proceres,
& Electores, etiam D. FERDINANDUM II. tanquam jam-
dum antea ritè electum, coronatum atq; inauguratum Regem
Bohemiæ & consequenter Romani hujus Nostri Imperii
Electorem ordine VII. Cùm, inquam, post obitum Matthiæ
p. m. Moguntinensis Elector Regem ac Electorem hunc Bohe-
micum FERDINANDUM II. ad tùm temporis solennem, &
adhuc futurum Electionis Regio-Romano-Cæsarianæ actum,
in Imperiali Franckfortensi ad Mœnum Civitate habendum

per literas, quas vocant, denunciatorias vocaret, citaret: Im-
 super hic Ipus FERDINANDUS II. jam nunc hodiè Imperator
 Noster Invictissimus, die præfixo, & loco destinato debitè
 ac quidem personaliter sese sisteret, atq; sic obedientissimum
 Romani Imperii membrum, fulcrum, ac caput ipso facto sese
 exhiberet, ea mente atq; animo, quo præter personalem illam
 comparitionem, & per eam exhibitam, ac sufficienter ostensa
 sam, Romano - Imperio debitam, etiam reliqua in literis, quas
 vocant denunciatoriis, maximè autem in Aurea Bulla contenta
 & Regi Bohemico, quatenus Electori primario, injuncta offi-
 cia atq; munia actualiter & absq; omni defectu exhaurire possent
 & vellet, Ecce! tantum abfuit, ut prædictum factum Archie-
 Cancellarii Moguntinensis Electoris, uti & ipsum D. FERDINANDI II.
 propositum & partim exhibitam, partim denuò
 exhibendam obedientiam, pro legitimis & Aureæ Bullæ Jurè
 consentaneis actibus, agnoscere & admittere voluerint Bohemi
 & consortes, ut etiam ultrò, proprio quodam ausu, nullaq; le-
 gitima denunciatione sive citatione, Bohemiæ Regni subditos
 & proceres ejusdem concernente prævia, ad prædictum Ele-
 ctionis Regio - Romano - Cæsarianæ actum publicum, Legatos
 suos miserint, & per eosdem cum viva voce, & de illius actus
 nullitate, & Regis FERDINANDI II. inhabilitate, sive in-
 competentia protestari, tum per eosdem ejusdem rei gratiam
 luculentum quoddam scriptum offerre, atq; sic totum illum
 actum, quantum in illis esset impedire & annullare ausi sint.

Nec hoc modò, insuper etiam non sunt veriti, Regem
 suum FERDINANDUM II. tot tantisq; tam plurimis ac tam
 gravissimis proscindere convitiis, Injuriis lacescere, ut neq; hæc
 neq; illa, creduim, absq; singulari Læsæ Majestatis crimine, ab
 alio, & nostro quopiam, ne auribus quidem hauriri, ne dum
 ac multò

ac multò minus absq; ejusdem criminis Læsæ Majestatis periculo, recenseri minutatim possint. Magna hæc, ita me Hercules & alii magni ament Deastri, audacia, horrenda insimul facinora! ast non tanta, ut iis ipsis horum hominum libido expleri potuerit!

Quippe quæ tanta tanq; vesana apud illos fuit, ut ne affectus quidem ejusdem amplius frenare, quinimò eosdem prius malitiosè ac sufficienter explere, nequiverit, quàm priori ordinariè electo, publicè recognito, ritè coronato atq; inaugurato, sive uncto Rege ac domino, Domino FERDINANDO II. de regio solio quasi deturbato, & Regno ejusdemq; possessione; vel quasi prorsus exsuto, atq; excluso, in ejus locum alium, & novum aliquem, Genio & ingenio illis fortean magis parem Regem Fridericum nempè Palatinum Electorem elegerint, electum vocassent, vocatum in Bohemici Regni oras pellexissent, pellectum introduxissent, introductum magnificentissimè suscepissent, taliter susceptum ad ipsam Regiam dignitatem actualiter evexissent, evectum publicitus pro Rege proclamassent, proclamatum coronari, coronatum multijugis aliis insolentioribus magis quàm solennibus, quàm decentibus ceremoniis ac ritibus inaugurari curavissent; atq; hoc ipso, rejecto FERDINANDO ILLO II. hunc Fridericum, in plenariam, ut illi putabant, & actualem Bohemici regni & incorporatarum Provinciarum possessionem, vel quasi constituissent, debitum ipsi, ut confidebant, & aliàs solitum homagium præstitissent, & sese obedientes ipsi & morigeros subditos futuros alta, quod ajunt, voce & sufficientissimis animi signis declarassent.

Atq; quò hæc ipsa extrema illorum libido, & jam relati perjurii plenissimi actus, eò celebriores & magis illustres redderentur

derentur vel quasi, Ecce! in mente illorum jamdum longissimo tempore antè concepto sceleri, etiam hoc addere non erubuerunt, quinimò hoc Heroicum quasi, & plusquam Herculeum factum, nullo modo intermittendum, sed eo potius tempore in actum producendum & effectum dandum, statuerunt, quo cum Illustrissimi Electores & alii Imperii Romani status præcellentissimi, in eligendo & inaugurando novo rege Romano, in futurum Cæsarem vehendo, occupati essent: tum ipsemet D. FERDINANDUS II. Rex illorum prior, ac ordinarius, altioribus hisce intentus & districtus regni Bohemici, ejusdemq; actualis administrationis curam habere non valeret atq; sic nemo, qui sese illegitimo perjuro, ac de per se nulli novæ novelli Regis Electionis inaugurationisq;, actui opponere posset, inveniretur, Lepidum, me Hercules! & admodum tempestivum, festivumq; rerum arduarum expediendi generis, modus, atq; medium! dignum certè, quod aureis omnino literis in celeberrimos Bohemici Regni referatur Annales, quo & posteris illorum, imposterum, casu ita eveniente, & regno illorum duos vel plures simul reges, & quidem contrariæ Religionis expetente, ad hoc idem recurrere memorabile exemplum, & stylum eundem candido, quod ajunt, lapillo notandum, tenaciter atq; ad unguem, quod dicitur, observare queant! nullus dubito P. C. quin, me etiam non monente, deprehendatis, ac statuatis, posteriora hæc à me Ironicè magis, quàm verè dici illisq; obiici, mihiq; verbis istis planè contrarium de & in hac re judicium esse, atq; sententiam etiam à vobis extrui debere prorsus contrariam.

Cæterum ulterius in malefano hoc Regio-Bohemico novo statu atq; actu pergundo, in illo præ reliquis etiam hoc probè ponderandum esse duco, quod si Bohemi & Consortes, è numero &

mero & grege suo unum aliquem delegissent, & eundem ad re-
 giam hanc evexissent dignitatem, pro ut apud & inter Roma-
 nos, uti & apud ac inter alios hujusmodi rebellantes antea ali-
 quoties factum esse & ut plurimum fieri consuevisse, historiae
 restantur, ac planum faciunt, levius fortean hoc illorum re-
 putari posset scelus. Ast quando, blanditiis, an versutiis dice-
 re debeam? non sat scio, suis, unum ex Imperii Romani Electo-
 ribus, & quidem eum, qui sese antea in hac ipsa causa pro In-
 terpositore & amicabili mali ac rebellionis hujus Compositore
 ultro obtulerat; quando eum qui, licet non impraesentiarum &
 personaliter, per suos tamen Legatos, & sufficientissime, ut
 credum, instructos mandatarios, Invictissimum nostrum Cæ-
 sarem D. FERDINANDUM II. pro legitimo, justè electo, so-
 lenniter coronato, atq; ritè infeudato Rege & Electore Bohe-
 miæ recognoverat, quando eum, qui per eosdem illum ad o-
 mnes actus Electorales habilem, ipso facto declaraverat, in
 Electorale conclave admiserat, sessionem huic Electoratu com-
 petentem, destinatam, atq; ordinariam concesserat, vota ejus
 Electoralia audierat, eundem prævio Legatorum actuali jura-
 mento, communi consensu, consentientibusq; sive unanimis
 votis, in Regem Romanum, futurum Imperii Induperatorem,
 elegerat, quando Eum, qui FERDINANDUM Nostrum II. cum
 reliquis pro tali publicitus proclamari curaverat, & paulò post
 ad ipsam Cæsaream dignitatem & fastigium hujus mundi sum-
 mum extulerat, qui taliter elato per prædictos Legatos Jura-
 mentum fidelitatis præstiterat, & pro declaranda debita & Ju-
 rato addicta obedientia, omnia illa, quæ istius Electoratus &
 Dapiferatus Romani Imperii propria sunt ac solennia officia
 accommodaverat, atq; sic undiq; bonum erga D. FERDINAN-
 DUM II. Bohemiæ Regem Electorem & Imperatorem, tum
 G temporis

temporis novum, animum ostenderat seu potius simularat.
 Quando, hunc & talem, inquam, Imperii Romani Electorem,
 blanditiis sive potius versutiis suis, adeò illaquearunt, effasci-
 narunt & plusquam Circeò poculo dementarunt, Bohemi &
 Consortes, ut ille ipse, ad Lethæum veluti amnem inebriatus,
 omnium jam relatorum, ultro citroq; obligatoriorum & vali-
 dissimum conscientia remorsum secum ferentim actuum &
 factorum, prorsus immemor, vel eadem eosdemq; actus & facta
 posthabere saltem satagens, falcem in alienam messem mitte-
 re, alienis plumis sese exornare & sceptrum novum ambabus,
 quod dicitur, manibus adprehendere non sit veritus, hoc factum
 illud est, ex quò tot immania facta in publicum nata ac pro-
 manata sunt. Ex quorum numero, inter cætera, & illud per-
 vicacissimæ & extremæ contumaciæ scelus, haud postremum
 reputari posse ac debere statuo, vigore cujus adeò occæcati &
 dementati ambæ illæ fuerunt partes, ut nullis omninò Regis
 sui anterioris, atq; legitimi, admonitionibus, dehortationibus,
 nullis declarationibus, promissionibus nullis, utri & nec, ullis, in-
 casum continuandæ contumaciæ indictis pœnis, ad resipiscen-
 tiam, frugem bonam, obedientiam debitam, ablatorum deniq;
 justissimam restitutionem commoveri, retrò trahi, & adduci
 potuerint. Quibus accessere omnium maxima, detestanda, &
 antidhac in nullo alio Imperii Romani, ne minimo quidem,
 nedum superiori quopiam membro atq; statu, ac totius orbis
 Christiani basi primaria deprehensa facinora alia, clandestinæ
 nempe, seu potius, respectu effectus, publicæ, cum abjuratis,
 certissimis, & infensissimis nominis Christiani hostibus, omni
 Jure prohibita pactiones & fœdera aliq; tractatus clancularii
 plures, quibus omnibus certè nil aliud, quàm extremum &
 præsentissimum communis Romani Imperii ac Patriæ nostræ
 periculum

periculum quæsitum fuit, & insidiæ atq; prodiones ad interitum positæ sunt longè gravissimæ. Neu quid de publica commertiorum in has, & alias Romano Imperio subjectas terras inhibitione, Neu etiam quid de inopina, impia atq; sævissima Religionis, uti & ceremoniarum, & rituum Ecclesiasticorum, immutatione, statuarum sive imaginū Carolostadianâ demolitione, destructione sacrilega, combustione & aliis similibus, contra expressam omnium saniorum Politicorum traditionem ac doctrinam, ab illis intentatis, & effectum redditis actibus reformatoriis, dicam. Circa quorum considerationem tamen & hoc negari non potest, quod cum si maximè vel pietas, vel necessitas ejusmodi reformationem exegisset: quarum tamen neutram *eis aīōvas* Iconomachi illi ostendent: secundum prædictorum Politicorum tamen præscripta, reformatorii illi actus lentè & leniter fieri debuissent, hic autem illud ipsum non fuerit observatum, verum illi ipsi actus, quos dixi, reformatorii repentè & severiter suscepti sint atq; expediti, cuius exinde pateat, illos haud exiguum vel turbatæ, vel fractæ pacis publicæ, testimonium præbere.

Quid ergo tandem ad hos, in Bohemico Regno & incorporatis, quas vocant, Provinciis, motus tumultus, seditiones, rebelliones, defectiones, spolia, cædes, foedera, & scelera illis adfixa reliqua, Imperator Noster Inviictissimus? Numquid Majestatis suæ, à Deo Opt: Max: ipsi divinitus concessæ, ac ab Electoribus Imperii ipsi unanimi suffragio delatæ, prorsus oblitus? aut (liceat ita inferre) vanissimis voluptatum mundanarum illecebris in tantum irretitus atq; inescatus fuit? ut prædictos horrendos motus, cædes, spolia & ejus generis alia publica, in Imperio Romano, durante Bohemica illa rebellionem, enata mala, uti & ipsas horrendas & gravissimas Majestati illius

illatas, cum Reales, tum verbales, injurias, non audierit, atque
 ditas floccifecerit, nec quantum coruscum Majestatis ejus jubar
 ac splendor, per has obfuscetur, quantum per illas Caesaria illius
 potestas imminuatur, senserit, attenderit, deprehenderit.
 Nunquid tam impotentem sese, & omni prorsus poenarum
 infligendarum licentia, jure ac praesidio, destitutum esse cen-
 sivit? ut ne verborum quidem tonitru, nedum aliis ad com-
 pescendas immanes hasce, & efferatas rebellionis & defectio-
 nis libidines, necessariis frenis & panis uti ei licitum esse &
 concessum crediderit? Nunquid animo persuasum habuit suam
 vel mansuetudinem, patientiam, lenitatem, clementiam Regio-
 Caesarianam (virtutes me hercules uti laudatissimas, ita tanto
 Heroi omnino necessarias!) omnes hujuscemodi cum verbales
 tum reales, injurias longe atrocissimas, alto omnino ac patienti-
 ti animo ferre, perferre atque absorbere, decere, debere, teneri.
 Vel Majestatis ejusdem fulgorem atque radios majores esse, ac
 splendidiore, quam quod illi ipsi istiusmodi verbalibus inju-
 riis obtenebrari & nebulis quasi quibusdam obduci possint, vel
 denique potentiam illius & regnorum atque Provinciarum opu-
 lentiam & copiam majorem, quam quod per ademptionem &
 spolium unius atque alterius regni, Provinciae, aut alterius cujus-
 dam subditorum partis, imminui, frangi atque infringi possit.
 Nunquid singularis cujusdam gloriolae Regio-Caesariae quoda-
 dam Genus, specimen, atque exemplar notabile statuit, duxit,
 aestimavit? taliter perjuris subditis, peti, impeti, ac folio Regio-
 turbari? taliter a majorum, ut ita dicam, gentium servito-
 ribus & Sacrosancta Jurisjurandi Religione sibi adstrictis mi-
 nistris, ludi, illudi, & non tantum ludibrio privato haberi, sed
 & universo orbi Christiano publicitus reddi, exhiberi, prostitu-
 tui? taliter a primario Romani Imperii membro & respectivo
 collega

collega eminentissimo, verbisq; antea addictissimo, contemni, circumduci, de sua dignitate ac possessione vel quasi regnorum ac subditorum dejici? Minimè gentium!

Nec enim natura Invictissimo Nostro Casari stultam illam Stoicorum *ἀπίθανον* ingeneravit, nec stupidam ei sui ipsius oblivionem indidit, aut saluberrimas Judicii dotes, quæ bona à malis, ab injustis justa, æqua ab iniquis, homines secernere valent & possunt, denegavit. Quinimò tantis eundem, tamque ingentibus Pandora armavit atq; animavit animi, rationis, ac Judicii præsidis, bonis ac donis, ut non solum optimè atrum, quod dicitur, à candido discernere, quid distent æra lupinis, è longinquo cernere, ac præ reliquis decernere valeat, verum etiam cum è salvificis sacrarum literarum fontibus, tum è doctissimorum quorumvis hominum doctissimis, & notatu dignissimis scriptis, ac consiliis saluberrimis, quid hac in parte ac tali casu, vel faciendum vel intermittendum sit, optimè didicerit, norit penitus, ac ad unguem sciat. Maximè verò nullum, credum, dubium alicui esse potest ac debet, quin eidem Invictissimo Imperatori Nostro, in admodum turbulento hoc & plusquam adverso ac periculoso Regio-Bohemico-Casariano statu sæpissimè in animum inciderit Senecæ illud in Thyeste:

Non capit Regnum duos.

Et alterum Lucani illud:

Nulla fides regni sociis omnisq; potestas

Impatiens consortis erit, &c.

Nulla etenim, secundum Ennium, sancta societas, nec fides regni: eo quòd ex mente & sententia præallegati Senecæ in Agamemnone:

Nec regna socium ferre, nec tædasciant.

Cui affine esse videtur Ovidianum illud:

Non bene cum sociis regna, Venusq; manent.

Quippe ut aliàs cantat Poëta:

Nunquam concordia multis

Imperium commune vices produxit in equas.

Ex quo rectè Quintus Curtius Regnum vocat insociabile. Quod sanè ita verum esse exemplo suo comprobavit M. Aurelius Antoninus Caracalla Imperator Romanorum XXV. quippe qui ardens cupiditate Regni intolerabili P. Septimium Getam fratrem socium atq; consortem Imperii, cum veneno tollere non posset, clam ferro eum in cubiculo trucidavit, quod animo præfagiisse Getam adhuc puerum consentaneum est, cum Bassiano sive joco sive serio dicenti aliquando, Omnes liberos occidendos esse, Tunc inquit: Qui omnes occidis, poteris etiam fratrem occidere? Quare cum Tyranno parricidæ Papi- nianus J. C. præfectus prætorio patrocinari nollet, non tam facile esse, dicens, excusare quàm facere parricidium, ab eodem paulò post is quoq; crudeliter fuit interfectus: longè aliter profectò sentiens, vir sapientissimus, quàm Bassianus iste, de quo dixi, cui suadenti ut invidiæ tollendæ, aut saltem mitigandæ causa, Getam fratrem à se occisum, appellaret divum, morem gerens Tyrannus parricida Caracalla, sit, inquit, Divus, dum non sit Vivus: adeò videlicet nescit pietatis Jura dira regnandi cupiditas, ut ille dixit. Sic non abs re affirmari posse puto eidem Invictissimo Nostro Cæsari in præterito statu Ovidianum illud cotidiè aureis vellicasse suas:

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

Cumq; aliàs Invictissimi Cæsares, tanquam supremi omnium Legum in his terris Patroni, atq; vindices, omnes Juris apices ac thesauros in interiori pectoris scrinio reconditos habere

vere dicantur, quis quæso! dubitare ausit? Optimum Nostrum Induperatorem, optimè scivisse atque adhuc hodiè etiam nùm scire, quod crudelis ille in Jure dicatur, qui famam suam negligit; quod tam pro verbalium, quàm pro realium Injuriarum repulsione, vim vi repellere liceat: quod cuivis, vi ipsi ablata, omni Jure recuperare concessum, quod Publicos Reipubl. hostes ferro, quod dicitur, & igne insectari, impios sacrorum Dei violatores, & veram Christi Religionem excindere conantes, armis adoriri & impugnare, non licitum modò sit, atq; liberum, sed omninò etiam necessarium & publicè utile. Recordatus itidem procul dubio Augustissimus Noster Imperator fuit gravissimi illius Senecæ moniti: Bonis, inquietis, nocet, qui parit malis. Id quod postmodùm Publius etiam in suos retulit Mimos, cum ait:

Bonis nocet quisquis pepercerit Malis.

Et D. Celius Balbinus Romanorum Italicorum Imperator ordine atq; numero XXXV. Symboli publici loco usurpare non erubuit. Prædictis autem omnibus, relato modò, ita stantibus ac præsuppositis, quid, quæso, miri! si in casu ac statu Regni Bohemici, superius paulo fusius relato, multoties nominatus Noster Imperator Invictissimus, non mitem sese nimis, nec nimis severum exhibuit, verùm secundum monitum Ovidianum:

*Inter utrumq; volans
Illud quòd medium est atq; inter utrumq; probatum,
Elegit*

ut non inconvenienter, puto, cantillat Martialis. Id namq; cùm Terentio arbitratus est,

Adprimè in vita esse utile, Ne quid nimis.

Hinc

Hinc etiam quàm diligentissimè gravissimum illud Ovidii monitum, Medio tutissimus ibis, notavit & eò ipso id consecutus est, ut jam nunc impræsentiarum illi Jure merito, Horatianum illud, paucis saltem pro tempore mutatis verbis, & posthabito in aliquibus metri genere tribui possit:

Rectius vixisti, FERDINANDE, neq; altum

Semper urgendo, neq; dum procellas

Cautus borruisti, nimium premendo

Littus iniquum.

Auream hinc & mediocritatem

Diligens tutus, cares obsoletis

Sordibus tecti, cares invidenda

Sobrius aula.

Uti & illud Sopatris in Epist. ad Hemeterium fratrem de Republ. administ. cujus verba, in egregio illo Nicolai Reusneri de symbolis Imperatoriis opere, latinè ita reddita leguntur præbuit, inquentis, se simul & clementem & infensum malis. Lentè quidem puniendo clementiæ studium, malis autem indignando improbitatis odium præ se ferens! idq; ideò, quò hoc quidem fugienda esse mala, illud verò non nimis implicabilem esse fortunam iis, qui peccaverunt, documento effecto sic nempè ex gravissima toties allegati gravissimi Poëtæ Horatii Judicio:

Virtus est medium vitiorum utring; reductum.

Ac ne fucum vobis facere, ne verba vobis dare, ne fucum vobis vendere velle, jure merito videri, multò verò minus jure merito dici possim, Agite! actiones vobis, si non omnes, aliquot tamen, notatu digniores Casarianas paulò apertius ostendam, ac dubio procul vos, iisdem specialius perceptis vestrum hoc meo hac in re adjicietis calculo calculum.

Licet

Licet enim in tanta potestatis plenitudine Casarea illius
Majestas constituta sit, ut si, quæ de Papa suo Romano, scurræ
ipsius altum ubiq; clamare atq; exclamare adsolent, mutare,
& pro tempore mutare, ac in invictissimum Nostrum Cæsa-
rem mitioribus verbis transferre, ut libet, sic credo licet, quan-
do vel millenas ille animas in Bellum Bohemicum secum
traxisset & contra rebelles subditos eorumq; Caput illegiti-
mum, quidvis tentasset, nec tamen licuisset, quenquam ei di-
cere: Cæsar, quid facis?

Licet præterea, saluberrimæ in Imperio Romano latæ con-
stitutionis publicæ, de pace publica, ejusdemq; violatoribus coër-
cendis atq; horum pœnis, loquentes, adeò sint declaratae, &
planæ redditæ, ut sine ullo negotio, etiam cucurbitas lippiens,
& vel pauxillum candido, quòd ajunt, elleboro, purgatum ce-
rebrum habens, deprehendere possit, quod prædictar: de pace
publica loquentiū constitutionum longè saluberrimarū publici
transgressores, ipso facto Bannum, quod dicitur, Imperii inci-
dant, & stricto jure actualiter, sine omni alio Processu ordinario,
aut aliis lenioribus Juris aut executionis remediis, contra ipsos
procedi possit ac debeat. Consequenter quivis, nî prorsus Calvi-
niano plusquàm Cyrceò poculo dementatus foret, & ipsemet in
album ac numerum rebellantium & pacis publicæ transgressorū
referri vellet, ultro fateri cogatur, Casaream Majestatem, in casu
ac passu rebellionis & defectionis Bohemicæ præsentis, ipso facto
ac sine ulla ulteriori cognitione, cunctatione atq; mora, contra
ipsos rebelles eorumq; caput ad ipsum executionis actū descen-
dere & optimo Jure illis confestim, sive defensoriū, sive vindica-
torium bellum cùm Covarruvia dixero, non longè, opinor aber-
ravero, indicere & vel mediante hoc ablatā coronam Regio-Bo-
hemicā, cùm omnibus aliis regalibus, insignibus, & coherentis
H reliquis,

reliquis, licitè vindicare, vel susceptione illius sese, ac divinitus sibi concreditam Remp: Regio-Bohemicam adversus nefarios, & publicos ejus hostes, debito modo defendere potuisset: Noluit tamen principio Cæsarea illa Majestas publicam prædictæ Reipubl: Regio-Bohemicæ, & omnium illarum Provinciarum, uti & hominum in illis degentium salutem, dubio belli sorti committere, & sanguinem ac cædes antea satis multas, multò majoribus cædibus, & sanguine accumulare, prædandi ac spoliandi occasiones ac mores malos continuare. Econtra verò maluit, missis ad ipsos tam majores, quam minores delinquentium gentes, literis, quas vocant, dehortatoriis, gratiam & clementiam penitentibus, ac è rebellionis atq; defectionis tramite ac devio cursu in rectam & verè regiam publicamq; viam sese recipientibus, promittere, eoq; ipso omnem ulteriorem vim atq; immanitatem hostilem è regionibus illis amovere, omnes etiam Tragicos Belli actus à cervicibus subditorum avertere: flagrantissima ac fragrantissima hac sese spe lactans, fore ut intermediis hisce declarationibus & plusquàm paternis adhortationibus, ad frugem redirent subditi bonam, de rebellionis crimine desisterent magnates de spoliis abstinerent, cum novi illius Regni Rectores ac Directores, tum ipsum illegitimo planè modò electum, evectum & inthronisatum, ut ita dicam, caput, consequenter, hi unà omnes ad Christi dictum sese accommodantes Cæsari redderent, quæ essent Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei.

Cumq; jam dictum, dicto modo electum, evectum & inthronisatum caput Regio-Bohemicum, unà cum reliquis tam superioris, quàm inferioris Reipubl: istius corporis, superioribus ac inferioribus membris in pervicacissimo suo rebellionis ac defectionis publicæ, proposito, seu potius commisso crimine, con-

ne, contumacissimè perseverarent, ac conjunctim ipso facto sese invicem Juramento, quo D. FERDINANDO II. Regi illorum anteriori atq; legitimo, jam nunc Augustissimi Imperii Romani Cæsari Augustissimo, sanctè addicti, & indissolubiliter ad extremum usq; vitæ halitum obstricti essent, liberarent: E contra sese nova & perjuræ conjurationis potius, quàm veri Juramenti speciem præ se ferente, Jurisjurandi Religione adinvicem ac reciprocè obligarent, conjungerent, ac conspirarent.

Nec hoc solum! verùm ulterius prædicti regni Bohemici & Provinciarum, quas vocant, incorporatarum membra, unà cum capite eorum novo Regi suo priori & capiti verè supremo ac vero, D. nempe FERDINANDO II. per literas eos monenti publicas, publicam parenti repulsam mitterent, eumq; antea allegatam spem pertuso corbe referre domum juberent: E converso à suis partibus, tam regionem & Reipublicatum, quàm religionem & ejus ritus sive ceremonias intervertere conarentur, inchoarent & jamdum magnam partem intervertissent. Consequenter sæpius nominata Cæsarea Majestas ad alterutrum prænominatorum bellorum susceptionem ansam & occasionem haberet plusquàm sufficientem, plusquàm graviolem, plusquam Justiolem, adhuc tamen illa, potestatis suæ plenitudine, & justissimis sæveritatis mediis uti noluit, verùm, re omni ad Augustissimum & plusquàm Serrinissimum Collegium Electorale delata, saluberrimo ejus consilio sese submisit, armorum suspensionem promisit, & clementiæ compositioniq; amicabili sese à suis partibus locum relicturam ultro passa est. O ingenium clemens, mite ac tractabile! O arma non arma, nec tamen prorsus inermia! O viam atq; medium sese ab omni sævitæ & Tyrannidis culpa publi-

citus exonerandi, simul & auxilium, unâ cum Consilio apud alios & respectivè Curia pares, quærandi optatissimum, sapientissimum, Justissimum! O factum verè regium atq; egregium! & quidem taliter ceptum, ut non potuerit non, si non apud & à partibus adversariorum rebellantium: maximè tamen, apud & à partibus Illustrissimorum Electorum optimum sortiri effectum! Hi ipsi quippe, summam summi sui capitis demissionem, uti & haud levem ejusdem, in hoc publico rebellionis ac defectionis publicæ crimine atq; discrimine, animi consternationem, & illi qualemqualem, ni fallor, adhaerentem faciendi, committendive incertitudinem, debita reverentia & plusquam divina sapientia agnoscentes, actutum & sine omni mora rei hujus gravitatem altius perpendere, utrasvis partes & illarum fundamenta ad justissimas Judiciorum suorum lances, & trutinas adpendere, & simul ab una parte salutem atq; utilitatem totius Romani Imperii publicam pro judicandi norma & scopo, sibi proponere unico, ab altera verò parte infinita ex Bohemico hoc malo, universi Reip. Romanæ imminentiæ mala atq; pericula eminèns prævidere, ac proinde illis omnino in tempore, quod omni tempore rerum omnium primum merito reputatum fuit, occurrendum esse, ceperunt statuere. Attento, quod non Lyrici illius saltem tempore, rectè dictum, verum adhuc hodiè verum, imò verissimum sit:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,

Et neglecta solent incendia sumere vires.

Perpenso, quod Juvenalis verissimè cecinerit:

----- dedit hanc contagio labem

Et dabit in plures: sicut grex totus in agris

Unius scabie cadit & porrigine porci

Uvaq; conspecta livorem ducit ab uva.

Confide

Considerato, quod Consul, ut tritum habet sermone
 proverbium, pomeridianorum foret; post causam demum vul-
 neratam, & tantum non desperatam, quarere remedium, aut
 cum Comico exclamare velle:

heui misero mihi

Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:

Aliquid mali esse, propter vicinum malum.

Imò deprehenso, quod paulò ante relatam huic malo,
 & periculis inde dependentibus, in tempore occurrendi ne-
 cessitatem, non adducta modò vicinitas, sed & præ illà, ac qui-
 dem maximè Dignitas eorum Electoralis, qua regnum Bohe-
 micum aqualiter cum ipsis pollet, suadere velle videretur,
 & proinde haut ita difficilè locum sibi apud ipsos vindicavit
 divinum illud Christi Oraculum, dicentis: Quod tibi vis fieri,
 alteri & tu feceris. Quod ipsum verè de cœlo delapsum ora-
 culum, tanto in amore, tanto in honore, ac in respectu tanto
 habuisse scribitur Princeps ille omnium seculorum & gentium
 memoria dignissimus, Alexander Severus Romanorum Im-
 perator XXIX. ut non solùm ipsemet eodem hoc dicto Sym-
 boli publici loco usus sit, verùm etiam sæpè in ore habuerit,
 & voce præconis, quoties in milites animadverteret injurio-
 sos, identidem prædicari jusserit: Quod tibi non vis fieri, al-
 teri ne feceris. Equissima fanè vox! & Jus gentium præ se fe-
 rens, ut Seneca loquitur, quippe quæ monet, ab alio expectan-
 dum esse, Alteri quòd feceris, secundum Publum.

Quemadmodum ergò subsumendo Electores Nostri Illu-
 strissimi, procul dubio, si (Quod Deus omnipotens Ter-Opt:
 Ter-Max: æviternum prohibeat:) in unius vel alterius eorun-
 dem Electoratum territorio dissensiones, conspirationes,
 rebellio-

rebelliones itidem aut defectiones, ac consequenter Bella mi-
 nus bella, oriri & exinde plurimorum malorum flammæ atq;
 incendium quasi exurgere vellet, ac per istud ipsi Electoratu
 certissimum extremum aliquod impenderet? periculum, rui-
 na & radicalis, ut ita loquar, everfio (quod ut Deus Ter-Opto
 Ter-Max. æviternum prohibeat, non possum, non adhuc se-
 mel, devotissimè precando ingeminare) ipsi creduim non ole-
 um, sed aquas optaturi, non everfionis, sed averfionis pericu-
 lorum socios quæsituri, & ab his non inflammandi, non ex-
 tirpandi, sed extinguendi, sedandi & conservandi modos, me-
 dia, atq; remedia expiscaturi, investigaturi & expetaturi essent.
 Ita, me Hercules, reciproco affectu, & argumento ab identitate
 rationis & conditionis ducto, æquissimum, imò omninò
 necessarium esse rati sunt; ac deliberato, communicatisq; sapi-
 entissimis consiliis, statuerunt sapius nominati Romani Imper-
 rii Electores Augustissimi in casu & causa præfenti Invictissim-
 um Induperatorem Romanum FERDINANDUM II. non
 tantùm quatenus Cæsarem Romanum ab ipsis debita reveren-
 tia semper suspiciendum, & illi, in quovis casu necessitatis, ore
 & opere, tam verbis, hoc est consiliis saluberrimis, quàm ipso
 facto, hoc est, actuali suppetiarum oblatione succurrendum
 esse: Verùm eundem etiam quatenus ritè electum, publicè re-
 cognitum, solenniter coronatum, consueto modò inaugura-
 tum Bohemiæ Regem ac indubitatum verissimum, certissi-
 mumq; Romani Imperii Electorem minimè deserendum; sed
 potius cum sui ipsius, tum totius Electoratus & Regni Bohe-
 mici, ejusdemq; incolarum ac subditorum gratia, citò citius
 saluberrima quævis media, atq; remedia salutaria inquirenda,
 per quæ utriusq; partis animi invicem reconciliari, odia ac dif-
 fensiones è cordibus illorum, si non radicitus evelli, tamen re-
 secari

secari non nihil, amor mutuus & mutuae inclinationes sive affectiones honestae, atque salutare inter illos concitari, honor ac obedientia superiori ab inferioribus, domino à subditis, infeudanti à feudatario sive beneficiario debita, denuò reparari, Jurisjurandi aliquatenus labefactata Religio redintegrari, Pax & Concordia mutua recuperari, in Ecclesia Religio, Justitia in Politia, in Oeconomia communis societas, ac liberruma rerum suarum administratio, & quæta cujusvis rei possessio, atque ut unico verbo rem totam complectar, omnia in pristinum optatum, felicem, & florentem statum reponi, & in integrum restitui possent. Attento, quod Bohemiarum Reges atque totius istius regni, ejusdemque incolarum atque subditorum salus, non minoris, sed æquè majoris curæ ipsis, ac ipsius regis esse deberet, & quod posterius relati subditi omnes Romano Imperio æquè, ac ipsemet illorum Rex, Juramento addicti & adstricti essent. Consequenter illi, non nisi extremo Imperii Romani cum periculo, & damno irreparabili & potestate & manibus ejusdem amitti, ac alteri cuiquam Romano Imperio non subjecto, nec ab eodem Imperio Romano pro rege & Septimo ejus septemviro recognito, concedi possent; Præterea ad jam relatam succursum, & restitutionis in integrum beneficium consulendum, procul dubio Augustissimos Augustissimi Imperii Romani septemviros commovit, cum trita illa apud nostros regula, quæ dici consuevit, duo vincula (qualia hic quoad personam FERDINANDI II. Caesaris & Electoris Imperii Romani septimi concurrunt) fortiùs ligare, tum etiam inter reliqua fundamenta ac rationes, & quidem reliquis maxumè, Sacrosanctum Romano Imperio & Caesari præstitum Juramentum: vigore cujus quivis illorum promisit se utilitatem regni curaturum. Quo ergo hoc ipsum actu & facto

hac vice

hac vice daretur effectum, ipsissima in Juramenti formula
 expressis verbis denominata exposcere videbatur utilitas, cui
 atcedebat, veluti perpetua comes, honestas publica; & pro
 conservanda ea, tot tamq; honestæ hinc inde promulgatæ le
 ges atq; rationes infallibiles aliæ. Si enim eo in casu, quan
 do Imperator vel Magistratus aliquis superior, officio suo abu
 ti, & vel nimia Tyrannide subditos opprimere, vel ad impia
 facta eosdem adigere, vel aliter res Romani Imperii perdere
 atq; eo ipso maculam aliquam Sacrosancto Romano Imperio
 aspergere, & à regia honestatis via in devia vitiorum declina
 re vellet, illis, qui universum populum repræsentant, (quales
 sunt Electores, Palatini, Patricii, ordinum conventus & simi
 les) licitum esset atq; concessum, quinimò ipsa videretur exigere
 re necessitas, Imperatorem sive Magistratum hujuscemodi su
 periozem, sui officii moneri, & quavis ratione, ac quibus
 mediis moveri, quò vel à Tyrannide, vel ab impio, perditio
 inhonesto & turpi averteretur proposito, seu vitæ genere,
 si pergeret, nec sapius admonitus resipisceret, verùm Respub
 licam consultò everteret, Jura protervè perverteret, nullam fidei
 conventionum nullam, nullam Justitiæ, pietatis curam haberet
 nullam, & eò tantùm tenderet, ut impunè quidvis patratum
 conscientis impia imperare, Rebusq; publ: pro libitu saltent
 atq; libidine uti, atq; abuti posset, ac tandem hæc ipsius mal
 itia eò usq; procederet, ut nisi armata vi restringui vel expelli
 posset, si hoc, inquam, casu, Electoribus, Palatinis, atq; aliis
 populum ad arma vocare, & talem è solio planè dejicere, con
 cessum; idq; ideò illis concessum; quòd illi uti in honoris Ro
 mani Imperii partem, ita & in oneris ejusdem aliquam par
 tem vocati sint, & Imperatori quidem Respubl: commissa
 sed ut ejus supremo & præcipuo tutori, illis verò ut contu
 ribus

coribus, quod ille primas, hi secundas in Republ. partes teneant; quod ille se utilitatem regni curaturū juret, hi idem juratō promittant, hujusq; rei etiam exempla sive præjudicia, si opus foret, plurima tam è sacris literis, quam historicorum libris peti & in mediū adferri possent: Utiq; concludendum esse existimo, hos eosdem admonitionis gradus, uti & in casu extremæ contumaciæ, ipsum processum admonitiones illas subsequente, ob rationis identitatē, & relationem, in qua dominus ac subditi ad invicem constituti sunt, etiam cū, & adversus subditos extremæ contumaciæ, & publicæ, non rebellionis modò, sed & defectio- nis crimine laborantes servari, atq; observari optimo Jure cū posse, tūm debere. Nec est, quod jam adductam conclusionem me multū fallere verear, cum videā, quinimò cū re ipsa deprehendam, hunc ipsum, quem jam dixi, stylum atq; processum, ab Augustissimo etiam Augustissimi Romani Imperii Collegio Septemvirali, in hac causa Regio-Bohemica, ad amissim obser- vatum & adversus ipsos Bohemos, & Consortes rebellantes, in facto practicum fuisse. Nonne quippe, si non ex ipsis literarū documentis fide dignissimis, vobis omnibus unā mecum con- stat, ad minimum tamen, fama inter media, compertum est? Illustrissimos Imperii Romani Septemviros, post electionis, creationis, ac inaugurationis, cū Regis, tūm Imperatoris Ro- mani, singulari Dei beneficio felicissimè peractos actus publi- cos, & post perceptam inter reliqua inibi, paulò superius fu- sius non nihil relatam novi sui Capitis atq; Cæsaris Romani FERDINANDI II. calamitatem, & illa non obstante mentem plusquàm placabilem, continuò aliquot literas, quas vocant, monitoriales ad Bohemos, & Consortes eorundem rebelles reliquos misisse, mentem atq; declarationem Cæsaream illis fusiùs exposuisse & ad animorum demissionem, & consimilem placabi-

placabilitatem eosdem adhortatos esse. Nec hoc solum, sed & ut posthabito posteriori loco, nulliter ab ipsis electo Regi, huic suo anteriori supplices fierent, & insimul veniam ab hoc peterent, autores extitisse & suasores longè gravissimos: Nonne prædicta literarum documenta publica & hoc testantur? Quod prædicti Illustrissimi Romani Imperii Septemviri sese denuo ad Inter: & compositionem amicabilem totius hujus mali obtulerint, Conditiones certas Bohemis liberas, & arbitrarij illorum integras reliquerint, ac insimul earum conditionum confirmationem, uti & in casum resipiscentiæ, antea actorum perdonationem, gratiam & clementiam Imperatoris certissimam iisdem significarint, ostenderint, promiserint? Nec hoc tantum! verùm etiam rem omnem apud Inviictissimum Induperatorem FERDINANDUM II. eò direxerint, ut anterioribus istis, Interpositionis nimirum & amicabilis compositionis actibus, dies certa, certusq; locus designatus, præfixus, atque ambabus partibus denominatus fuerit? Consequenter, omnes pij, probi atq; fideles Romani Imperii Vasalli & subditi in hanc latissimam spem, & exoptatissimam expectationem conjecti sint atq; adducti, tandem aliquando,

Post varios casus, & tot discrimina rerum, auream pacem in miserè afflictas, & tantum non penitus extinctas illas terras, ac regiones Regio-Bohemicas, retroductum iri. Sed ô spes hominum fallaces! ô pectora cœca! tantum enim abfuit, ut hoc ab Illustrissimis Romani Imperii Septemviris, successu secundo, procuratum amicabilis inter: & compositionis factum, sive opus successum atq; effectum sortiri potuerit secundum, & prædicti Bohemi rebellantes cum suis Consortibus sese à suis partibus illi accommodare voluerint: ut etiam hi ipsi illud rotundè atq; expressis verbis denegarint: Econtra sese alto supercilio,

cilio, & sesquipedalibus, quod ajunt, verbis declararint ipsos, se, suumq; Regem novellum, Privilegia itidem & immunitates reliquas, aperto Marte, & omnibus aliis humanis externis viribus contra Romanum Imperatorem, & rejectum Bohemiæ, ut vocant, Regem defensituros atq; sic, ipso facto, liberrima sua, ut prædicabant, capita è durissimo hujus posterioris jugo liberaturos esse. Ut reliqua plusquam injuriosa verba & Læsæ Majestatis crimina taceam. O extremam hominum pervicaciam! O protervam rebellantium insaniam! O insaniam & malesuadam deficientium impudentiam! Sic nempè exemplo suo verissimum esse docere voluerunt, Quod Comicorum ille princeps Terentius jamdum suo conquestus est tempore, oportere nempè eum gnaviter esse impudentem, qui semel pudicitia fines transilierit: uti & alterum illud alterius istius Comicorum Antesignani, Plauti in Bacchidibus:

Hunc ego verè periisse puto, cui quidem periit pudor.

Quid ergò tandem ad hanc extremam rebellantium Bohemorum & Consortium contumaciam, pervicaciam, quinimò publicam, ut ita dicam, hostilitatem Augustissimi Electores? Quid ipsemet tandem Invictissimus Cæsar Romanus? Nunquid in utramvis aurem securus dormivit hic? Nunquid officiorum suorum dememinisse ceperunt illi? Et fortean suo periculo Bohemos hac in re periculum facere jusserunt; Econtra verò Cæsaream Majestatem ad consimile quid faciendum instigârunt? Neutiquam! verùm hi indictis in Imperiali ac primaria Tyrigetarum civitate Mulhusina Comitibus, ut ita dicam, Electoralibus publicis, denuo de compescenda hac Rebellionis Bohemicæ libidine, & mediis ad eam rem facientibus legitimis atq; saluberrimis multùm diuq; inibi deliberare non destiterunt: & maturo tandem consilio constituerunt, pro superabun-

perabundanti & majoris, ut cum ICTis nostris loquar, cautela ergo, cum ipsum Bohemiam Regem novellam, tum omnes ejusdem regni subditos rebelles, uti & reliquas incorporatas Provincias ac in unum omnes Moraviae, utriusque Silesiae, superioris itidem & Inferioris Lusatiae, status, Proceres atque subditos adhuc semel de rebellionis ac defectionis perpetratis & continuatis delictis, publicis, sedulo adhortari, E contra omnem quod ajunt, lapidem movere, ac manibus pedibusque eniti, quod Rex posterior Illegitimus, sceptrum ac diadema regale deponeret, illud pristino vero Domino, una cum rebus per violentam possessionem ablatis, Provinciis itidem, atque regalibus aliis ultro restitueret, & imposterum una cum hoc, etiam ipsi met subditi, ea, quae ipsorum essent officiorum, facerent. Eaque propter literas sextuplices ad ipsum nempe Regem, Bohemiae itidem, uti & Moraviae, nec non Silesiae Superioris, atque Inferioris, ad utriusque denique Lusatiae Proceres, status atque subditos eademque satis longas, praegnantissimis fundamentis satis plenas, satisque memorabiles miserunt, & in illis cardinem totius negotii ipsis & quid tandem malorum illos omnes tangere, iisque obringere posset, sufficientissime exposuerunt: Certissima spe freti, fore, ut tandem aliquando, tam Rex, quam subditi, sese recolligerent, ad frugem bonam redirent, & Augustissimi hujus Collegii Electoralis saluberrimis monitis locum aliquem relinquerent. Ast, prohdolor! incassa & vana etiam haec fuit illorum optime concepta spes! & correctionis recollectionisque opinio! Tanta e contra hominum rebellantium pervicacia, audacia tanta, & tanta mentium obduratio, ut hi ipsi posteriores Bohemorum affectus ne cogitationibus quidem sufficienter inquirene dum verbis sufficientibus exponi possint.

Quid

Quid ergò tandem à suis partibus ipsemet Invictissimus
 Cæsar FERDINANDUS II. Hercules! malo nodo, malum
 omninò quarendum esse cuneum putavit, & nunquid, medi-
 antibus legitimis mediis executivis ad officium & debitam obe-
 dientiam atq; juratam subjectionem Refractarios compelle-
 re posset, periculum facere cogitavit. Hinc & Commissario-
 rum loco electis è numero Politicorum Electorum, & Princi-
 pum Romani Imperii primariorum Serenissimis atq; Poten-
 tissimis, Domino JOHANNI GEORGIO Duci ac Electori
 Saxoniae, ac Romani Imperii ArchiMarfchallo &c. Dn. Nostro
 Clementissimo, & Dn. MAXIMILIANO superioris & Inferio-
 ris Bavariae Palatino, illis seriò per literas, ut ita dicam, Com-
 missoriales injunxit, ut Cæsareæ Majestatis in compescendis
 subditis, cervicem subtrahere molientibus, vices & executione
 in se fusciperent, eosq; qui haectenus nullis verbis, nullis ad-
 hortationibus aliisque legitimis mediis, ad debitam reduci po-
 tuissent obedientiam, tandem armis coërcere laborarent ma-
 nuq; militari Jurisdictionem Cæsaream erga illos exequeren-
 tur. Nec hoc ipsum, opinor, multum aberravit Cæsarea illa Ma-
 jestas; verum cum legum salutarium præscripta, tum laudatif-
 simorum Antecessorum laudatissima Exempla laudatissime fuit
 imitata, quæ omnia si hie recensere vellem, ut animo prius con-
 cepta habebam, dies me, credo, deficeret, illis ergò ad alium for-
 tean locū & tempus reservatis, aliud, quid paulò antè nominati
 à Cæsarea Majestate Electi Duumviri exsecutores atq; Commis-
 sarii Cæsariani, & postposito hac vice, suisq; de illo dicendi ma-
 teria relicta hoc posteriori, quid prior ille, Serenissimus nempe
 Elector noster, hac in causa fecerit, paucis inquirā, paucis vobis
 exponam, & eo ipso paucis adhuc primum hoc Thematibus Ora-
 tionis hujus membrum specialius absolvam atq; concludam.

Ultra prædicta ergò circa occasionem & causas belli hujus impulsivas brevibus vos scire & hoc volo, conatum quidem fuisse principio Serenissimum Electorem Nostrum, & omnem lapidem movisse, omnes insimul subjectissimarum simul & honestissimarum excusationum thesauros reclusisse, Cæsareæq; Majestati ob oculos posuisse, queis modò sese à gravissimo, simul & ambiguo hoc Commissionis Cæsareanæ munere & onere exoneraturum confisus est.

Quia verò illa cusa executionum, ut ita loquar, tela inventum, quod dicitur, abiere, iisque e contra argumenta persuasoria longè graviora in contrarium opposita fuere, tandem Serenissimus Elector Noster, nolens volens, hanc executivæ Commissionis Provinciam in se suscipere quasi coactus, & ipso demum opere, ut paulò post audietis, aggressus est. Nolens volens, inquam, Nolens, rei gravitatem & exitum dubium, unà cum invidia, & aliis sinistris adversariorum opinionibus & convitiis secum cogitando, & eminus quasi prævidendo. Volens, quia cum ex aliis facti hujus circumstantiis, tum potissimum ex ipsis transmissæ commissionis literis ubertim & ad literam deprehendebat causam hujus executionis, siue impulsivam, siue finalem dixero, non multum, opinor, aberravero, non eam esse, quàm alii justissimam belli causam vocant, infidelitatem nempe, hoc est, ad præsentem statum si eam accommodare, ut credo, licet, religionis quàm vocant Lutheranæ ab aliquibus diu cogitatam, diu structam, multoties optatam, attentatam multoties, Dei autem beneficio ac providentia divina ex sententia & votis nunquam ad exitum perductam, persecutionem, deletionem, ruinam & extirpationem radicalem: Sed eò tantum, ac primariò eò Cæsaream tendere Commissionem, quò, mediante hac, in puncto & terminis Religionis, omnes

sive

sive Religioni sub una, sive illi, quam sub utraq; vocant, addicti forent, tuti esse, ac in possessione vel quasi usu itidem, atq; exercitio liberrimo ejusdem, juxta tenorem pacificationis Passaviensis imperterritè atq; liberrimè manuteneri, diutissimè & tranquillè florere, conservari in posterosq; derivari posset ac deberet. Volens etiam ideò hanc Commissionem Serenissimus Noster suscipiebat, quia ex transmissis literis deprehendebat, per illam non vanam Imperatoris gloriam, nec insatiabilem ampliandi regni cupiditatem, quas ambas reprobas hominum affectiones, nonnulli inter causas Belli justissimas referre, atq; illis ipsis Alexandri Magni, Pyrrhi, Carthaginensium, & plurimorum aliorum regna pro celeberrimis, & beatissimis deprædicare non erubescunt, quæri debere, verùm à partibus Cæsaris Augustissimi pro causis impulsivis sive finalibus rationes stare longè gravissimas, & cuivis saltem ex antecedentibus Bohemorum actibus, factis atq; delictis publicis planum esse possit, omnia ea, quæ vigore oblatae Commissionis Cæsarianæ Serenissimo Electori Nostro petebantur, defensorio tantùm modò ac vindicatorio nomine atq; modò geri & effectum reddi deberent. Volens deniq; hanc ipsam Commissionem suscipiebat Serenissimus Elector Noster, quia, vel unicus ipsemet transmissarum literarum, ut ita loquar, commissorialium tenor, litera, atq; scopus, eidem uberrimi & fide dignissimi testis loco esse poterat, quinimò revera ad literam erat, quod susceptio atq; realis executio sæpius dictæ Commissionis Cæsarianæ non stricto jure, aut recta, quod dicitur, via, ad arma directa esset, multò minus merum, verum aut severum bellum tantùm spiraret, referret, requireret; Sed sub alternativè, sive subordinatè, primum omnium plurima ac saluberrima saluberrimæ atq; aureæ pacis, & amicabilis Compositionis

positionis suggereret, permetteret, imò postularet, media, atq; remedia: In eventum verò saltem & in casum demum extremæ contumaciæ, extrema Belli exercitia seu severior executio ipsi injuncta esset & demandata. Consequenter ipsemet Elector, & omnes pii atq; fideles Romani Imperii subditi adhuc optima spe lætabantur, fore, ut priorem potius oblata Commissionis partem, sive modum mitiorem, eligerent ac complecterentur illi, quorum causa hæc ipsi injuncta, & ab ipso Electore Serenissimo debitè suscepta esset Commissio, quàm quod ullatenus ad posteriorem duriolem, imò durissimum deveniendum esset modum, quàm verè? ex inferioribus patebit. Ut reliquas Commissionis hujus suscipiendæ causas impulsivas, sive argumenta persuasoria, per quæ ad susceptionem hujus Commissionis & respectivè Belli Serenissimus Noster Septemvir adductus fuit, hoc in loco præteream. Et quidni præterirem? cum hæc ipsa argumenta persuasoria, cum illæ ipsæ causæ impulsivæ reliquæ, jamdum antea à me superius in duplici illarum agmine copiosè fuerint productæ, atq; exinde etiamnum peti possint: cum veritas, uti & ipsa necessitas earundem, ex actis, factis, & Bohemorum rebus gestis, uti & ipsorum delictis aliis, nec non ex Augustissimi Collegii Electoralis fundamentis dehortatoriis, eorumq; omnium ad ipsas in genere allegatas causas, debita, fidei, & speciali applicatione satis superq; deprehendi possint. Ne ergò crambem bis coctam vobis proponere velle videar, ne tædiosa illarum repetitione vobis hac vice ulterius molestus sim, ad illas ipsas vos hac vice remisisse sufficiat. Sufficiant insimul, semel, quòd ajunt, pro semper, hæc omnia, quæ hæctenus, pro elucidatione quaestionis illius prioris, qua occasione nempe, & quibus de causis Serenissimus Noster ad Commissionem hanc & respectivè Bellum hoc

lum hoc suscipiendum commotus & adductus fuerit, dicta sunt. Quod reliquum est, orationis hujus ordo quidem & promissionis meæ postulare tenor, ut secundū superius propositam propositionem generalem, & illi ipsi paulò post adnexam panegyricæ hujus meæ partitionem specialem, impræsentiarum etiam aliquid de reliquis duabus Orationis hujus partibus specialioribus, mediis nempe, remediis & adminiculis, quibus Serenissimus Elector Noster in hætenus relato bello executivo potissimum usus est & quemnam illud tandem eventum sortitum sit, in medium adferretur. Quia verò hæc ipsa, quam hætenus retuli, pars prior aliquantò prolixior extitit, materiesq; ejusdem, in ampliorem me dicendi, vos verò auscultandi deduxit campum, quàm ipsemet principiò putàram. Præterea interperorandum Clepsydre stillicidia tervè quater vè (ni fallor) exhausta sunt, atq; adeò jam nunc Virgilianum illud mihi in auribus oberrare ac personare videtur meis:

Claudite nunc rivus, pueri, sat prata biberunt.

Nec non magna pars animorum vestrorum si non in patinis est, in negotia tamen sive domestica, sive publica plusquàm in rem præsentem amplius intenta deprehenditur. Quia deniq; maximè omnium residuarum illarum partium materia non minus amplæ, non minus copiosæ, quinimò non minus dignæ sunt, quarum relationi & auscultationi temporis non nihil impendatur, ac hætenus relata fuit prioris materies: utiq; rem vobis gratam me facturum existimavi, ut & adhuc existimo, si vos hætenus finita hac vice orationis parte priore dimitterem, & reliquarum duarū partium tractationem in aliud tempus rejicerem, reseruaremq; commodum. Quod si vobis idem, qui mihi, hac in re est animus, surgite, quæso, & plaudite, coronidis loco ante abitum vestrum stando quasi, hoc, vel simili modo, si

dò, si non expressè mecum, tacitè tamen in cordibus vestris, exclamantes: O beatum ac felicem Principem, à cuius expeditionum sivè negotiorum publicorum partibus tot, tamq; graves, imò gravissimæ stant militantq; causæ, rationes atq; incitabula. O sapientem simul & Justum Ducem, qui tanta prudentia, tantaq; animi circumspectione summum atq; Augustissimum suum Caput, & à Domino Jehova sibi præpositum Dominum Ordinarium venerari, illiq; in dubiis rerum suarum casibus oppidò & ope & consilio succurrere novit & adsolet! O excelsum, fortem & magnanimum Electorem, qui mandatas sibi à Domino superiore vices, non alteri demum demandare, sed ipsemet, cum Juramenti Domino superiori præstitum officii à Deo & Imperatore ipsi commissi memor, easdem personaliter atq; realiter subire, impositiq; muneris ac oneris partes sufficientissimè, & ad amissim adimplere non veretur, non dubitat, non detrectat! O lectissimam, certissimam, fortissimamq; totius Sacrosancti Romani Imperii columnam atq; basin! In cujus interioribus pectoris medullis ipsa salvifica Religio, Pax alma, & Astræa Divina, divina prorsus ac plusquàm divina Triga firmissimas suas fixasq; sedes locarunt, sartas tectasq; obtinent, & quasi è longinquo quid rerum in terris agatur, prospiciunt, ex iisq; iterum, ubi factò opus est, in salutem & emolumentum hominum provolant, & suis quævis illarum fungitur officiis. O divinum ergò divinæ illius Trigæ domicilium! O pectus immortale atq; divinum! quod utinam etiam in hac mortali vita nobis Deus Ter-Opte Ter-Max: quàm diutissimè servasset sal-
vum & incolume!

D I X I.

Zuv rō

Σὺν τῷ Θεῷ.

ORATIONIS PANEGYRICÆ PARS ALTERA.

Media, remedia, & adminicula, quibus Serenissimus Elector Noster in hætenus relato bello executivo potissimum usus est, exhibens.

Inter reliqua P. C. Architectonicæ illius, & omnium aliarum disciplinarum principissæ sive Reginae, Politicam sic indigetat Philosophorum Princeps Aristoteles, præcepta, sive quæsitæ, quorum tantus apud Saniores ejusdem disciplinæ scriptores extat numerus, multitudo, atq; copia tanta invenitur, ut quidam eorundem, sese abisdem satis explicare extricareq; non posse, ingenuè & verè profiteantur, Inter reliqua ergò, inquam, hujusmodi quæsitæ Politica, non postremum locum obrinet, nec postremi sive minimi, verùm si non maximi, mediocris tamen momenti reputatur quæsitum illud, mediante quo, re ipsâ in utramq; partem discussâ, investigatur: Nunquid Magistratus, aliaq; similia officia ardua, publica, Invito, Jure sive deferri, sive obtrudi vel possint vel debeant? Aliis in Negantium, in Affirmantium castra alius abeuntibus. In priora qui divertunt, negativæ suæ opinionis tela secum ferunt atq; gestitant non contemnenda sequentia. In Inviti, dicundo, animo omnis ad res benè gerendas tepet, torpetq; ardor, nec ullus in eodem laudabilis ad tales suscipiendas deprehenditur stimulus. Atq; hinc est, ut comiter satis, è Comico, canibus æquiparentur, quando is, invitos canes ad venandum ducere, id verò nihil est, hortatur

K 2

atq;

atq; clamitat: ex quo prædicti Politici colligunt, nihil etiam esse, si nihil istiuscemodi homines ad Magistratus, similiaq; duci, imò trahi vellent officia publica. Telum, ita me Hercules amet, satis acutum, quo non possunt non deligentium vota validè conenti, sed & nec desunt illis alia, non minus, ut illud, acuta, imò acutissima. E quibus omnibus tamen ego, brevitatis studio, unicum saltem, adhuc è Philosophico senatu positum hac vice adducam, qui, nihil quicquam violentum diuturnum esse, statuit. Cumq; invitum quodammodò violentum videatur, sapius nominati Politici iterum notabilem hanc exinde extruunt collectionem, quod illud ipsum etiam non diuturnum esse queat, ac consequenter Inviti meliùs, & commodiùs ab istiusmodi officiis publicis repellantur, quam ad eadem admittantur, ducantur, trahantur: maximè quia et si invito alicui Magistratus, similiaq; officia publica obtruderentur, hic ipse tamen eadem, eosdemq; diu feliciter sustinere non valeret, verùm citra omnium expectationem, vel ex nimia insolentia ac Philautia in Tyrannum degenerare, vel ex nimio animi languore, aut laborum exantlandorum inscitia, impatientia atq; ædio, curam omnem abjicere, & nescio quid non moliri posset ac soleret. Atq; talia sunt, multòq; plura alia, quæ in proposita quæstione à Negantium partibus in medium adferri consueverunt. Sed & nec illi, qui in Affirmantium castra abeunt, suis destituti sunt rationum armis, verùm & numero plura, & pondere si non validiora, ad minimum tamen prædictis similia, sive æquivalentia pro se, ac in promptu habent rerum argumenta sive propugnacula.

Quamvis autem ea omnia cum scitu necessaria, tum relatu digna, tum fortè etiam auditu jucunda forent: quia tamen illa in specie hic referre, ac tandem definitivè aliquid in politico

hoc

hoc quaesito statuere, nec propositi mei est, nec etiam si esset, loci hujus, vel etiam negotiorum vestrorum pateretur ratio. Præterea, paulò antè in principio hujus ejusdem quaestionis Politicæ longè alium in finem, quàm quod in eadem certi aliquid statui, ac tempus illà teri deberet, à me injecta fuit mentio, prout ejus rei ratio ex paulò inferiùs subsequentiibus subsumptionibus aliquantò patebit apertius. Ecce, missis illis, ad alia, præsentì themati ac proposito meo magis inservientia, depropero. Et quia præallegatorum politicorum tradita speciatim continuando, apud eosdem deprehenditur, inter reliqua etiam, illos maximo proscindi vituperio, & quidem jure merito, qui corrupta intentione ut Chassanæus loquitur, hoc est, fastu superbiæ & Tyrannidis suprema rerum arripiunt gubernacula, ac per vim sese Reipubl: aliisq; ingerunt & intrudunt negotiis publicis. Ut maximè negari non possit, Monarchiam Assyriorum omnium calculo primam, à Nimrode, quem Potentissimum venatorem sacrae literæ, amarum autem dominatorem, ejusdem nominant Interpretes, primum omnium vi constitutam esse. Utiq; ego jam nunc duobus hisce in quavis magistratus aliorumq; officiorum publicorum arreptione necessario observandis quasi extremis ita præsuppositis atq; stantibus, optimo fundamento subsumi ac evinci posse existimo, non solum quemvis Magistratum, aut aliud quoddam officium publicum justis ac legitimis de causis atq; occasionibus optimis in hunc vel illum derivari debere. Verùm etiam contemplatione eorundem, non prorsus de nihilo esse, si in causas atq; occasiones illas, quibus hic vel iste officium hoc illumvè Magistratum gerens, ad moderamen istud, istamq; functionem ductus atq; perductus fuerit, acriùs non nihil & alacriùs inquiratur. Atq; hæc ipsa consequentia etiam me eò attraxit, ut non sim veritus,

hac vice exordii loco, quaestionis illius prioris, nunquid videlicet invito Magistratus aliaq; officia publica sive deferri, sive obtrudi Jure vel possint, vel debeant, unà cum reliquis circa eandem adductis traditionibus politicis, fusio rem non nihil mentionem injicere.

Cumq; praeterea etiam aliàs, ubicunq; vel per modum quaestionis sive publicæ, sive privatae, aliqua de bellis aliquid proponendi occasio incidit, vel etiam realis aliquis de illis increbescit rumor, non tam de autore, sive etiam praedicti Belli Duce Primario solliciti esse, quam in causas ejusdem inquirere soleamus anxius; certissimè scientes, quod non cuivis confestim eo ipso alteri bellum inferre liceat, quod bellum per se res licita ac justa censeatur, quod ipse, qui illud tentat atq; intentat, fortè Magistratus aliquis, sive superior, sive Inferior sit, & insuper hostes habeat infensos certissimos; Verùm omnium primum ac maximè, sive praesentis, sive futuri Belli causæ, & nunquid illæ ipsæ justæ, an verò injustæ sint, probè ponderandæ veniant. Idq; inter reliqua eum potissimum in finem, quò cognita causa de effectu ejusdem Belli eò facilius dividicare, vel saltem aliquid privatim conjicere valeamus. Ne hujuscemodi causarum inquisitio atq; discussio vana sit, ac contemnenda; quinimò omninò necessaria, & maximè utilis sive frugifera existimetur, cum respectu votorum, & adprecationum faustarum, publicarum, communium, tum respectu con: & auxiliorum futurorum. Quemadmodum enim is belli Dux, qui Deum aequitate causæ & Belli à se suscepti à suis habet partibus (pro ut de hoc quemvis Belli ducem quam diligentissimè prospicere debere, sapientissimo, imò divino prorsus consilio piè admodum monet, Sanpaulinus Comes apud Cominæum) de adiutorio ejusdem divino, felici itidem successu, & futura victoria dubitare

tare nullatenus potest aut debet: Ita etiam is ipse Belli dux, qui justa causa nititur, non potest non causæ hujuscemodi justitia & æquitate, multorum milla hominum etiam privatorum, devota, prospera ac felicia, pro felici rerum suarum successu, ad se trahere vota, hominesq; ipsos magis magisq; in consilia simul & auxilia habere propensos. Uti è contrà res & experientia cotidiana satis superq; docent, quod hujuscemodi homines privati anxius in belli causas inquirentes, conjunctis & amorum, & animorum corporumq; omnium autem maximè precum viribus, contrà illum stare, militare, ac precari soleant, quem vel ex merâ habendi libidine & ampliandi regni sui gratia, vel alia frivola, temeraria, & injusta de causa, aut quovis alio colorato ac fictitio aliquo prætextu bella minari, inò suscipere deprehendunt.

Nec in ventos abire solent conjuncta hæc piarum precum tela, verùm ut plurimum in Julianum Apostatam ejusdemq; socios recidunt, & victas illos manus dare cogunt.

Quod si verò jam nunc subsumendo tam in belli susceptione, quàm in quorumvis aliorum officiorum sive munerum publicorum functionibus, omninò ac necessariò, & quidem primo loco, in causas atq; occasiones, earundemq; commoditatem ac Justitiam inquirere licet, quinimò & necessarium est, & utile: Quis, quæso, vitio mihi vertet, quod ego met ipse in præcedente Panegyricæ hujus meæ parte priore, vobis occasiones & causas nonnullas, quibus Serenissimus Elector Noster præterito anno, Nomine Regio-Cæsarianæ Majestatis Bellum contrà utriusq; Lusatiæ Marchionatus, geminæ itidem Silesiæ Ducatus, & belli hujus consortes reliquos suscipere motus ac commotus fuit, non nihil ob oculos posuerim, & easdem quantum, cum per Ingenii imbecillitatem, tum per temporis angustiam, fieri

fieri vel potuit, vel debuit, optimè inculcarim. Nec credimus vos à vestris partibus, quod relationi earundem temporis non nihil impendentis pœnitet.

Cæterùm cum vel omninò nihil, vel admodùm parum judicari possit, aut etiam re ipsa esset ac prodesset, si ejus rei causæ, tantummodò inquisitæ vobisq; ob oculos positæ essent, nisi etiam de mediis, Remediis, similibusq; adminiculis aliis, quibus idem ille Serenissimus Elector Noster in suscepto bello potissimum usus est, aliquid adjiceretur. Attento, quòd in munerum publicorum functionibus non personæ tantùm, & causæ, propter quas iisdem illæ præstitutæ sunt, sed etiam earundem cura sive officium attendi, & modus sive forma, qua illi illis præsent, considerari debeat. Perpenso, quod forma demum verum det esse rei, & ex hac nonnunquam rerum dependeant eventus. Imprimis autem in bellis non omnes, uno eodemq; modò, rem gerere soleant, nec ut maximè vellent, possint; verùm hic hoc, ille alio utatur procedundi modo, prout hoc ipsum ex historia Fabii illius Maximi, & Annibalis Græcorum Ducis cuius satis superq; liquere potest.

Ex quibus hic, Annibal scilicet, ferociens, ac in copioso militis numero exultans & tantùm non Victoriæ ante Triumphum canens, Fabium quidem, Belli punici secundi tempore, indies provocavit, ille ipse verò, Fabius nempe Maximus, qui unus Romanis cunctando restituit rem, manus cum eodem conferere penitus detrectavit, & nihilominus Græcorum copiis, veluti Tantalò lapis jamjam lapsurus, incubaret, Consilioq; accurato tamdiu sese illis opposuit, donec exercitus hostilis paulatim Commeatus inopia attereretur, pecuniæq; penuria pressus attenuaretur, atq; sic Fabius & re & nomine Maximus gloriosa potiretur Victoriæ. Et licet interim bellator hic Fortissimus

simus & Imperator prudentissimus per ludibrium Pædagogus, Annibal & cunctator appellatus fuerit, ille ipse tamen dictæ cavillo probriq; morfu nihil omninò motus, prædicta ludibria alto spreuit supercilio, ac excusationis suæ loco, in signem hanc, laudabilem q; addidit sententiam, dictæ, inquiens, convitiæ q; qui metuunt, timidiores multò esse censeo, quàm qui ad hostium conspectum formidant & refugiunt, sensit nimirum Heros augustissimus, plus se Reipub: salutis atq; incolumitatis consulere, si ferocientis & exultantis hostis temeritatem consilio reprimeret, furorem fortitudine eluderet, audaciam Virtute si superaret, quàm si cæca & desultoria levitate temerè ad arma prosiliret, & se sociorum q; suorum salutem in manifestum & voluntarium projiceret discrimen. His verò omnibus iterum præsuppositis atq; stantibus, non inconvenienter, credum, me jam nunc ad alteram in proposito themate questionem sive partem specialiore accingo, paucissimis hac vice expositurus, quibus mediis, remediis atq; adminiculis, sapius nominatus, Serenissimus Elector Noster, in suscepto bello executivo potissimum usus sit.

Antequàm autem ad relationum eorundem descendam, vos eà, quàm possum, quàmq; debeo, animi devotione deveneror atq; rogo, velitis & mihi hac in parte vacillas, cum aurium, tum mentium vestrarum ædeis aperire, & ea, quæ dicturus sum, in rubi fronte percipere, atq; eo ipso, quantum in vobis est, etiam alteram hanc Orationis hujus meæ partem specialiore ad optatum finem provehere. Ipsum ergò Orationis præsentis Thema speciale, media videlicet, remedia atq; adminicula, quibus Serenissimus Elector Noster in executivo hoc bello usus est, quod attinet, principiò fateor, quod Serenissimus Noster Elector, non executionis hujus demum tempore, sed longè
L
etiam

etiam antea, cum in ditionibus hisce Electoralibus Saxonis, & illis aditis Provinciis, tum in aliis Romani Imperii Regnis atque oris, ac fortasse etiam apud & inter exteris Provincias

Jusserit ilicet are recurvo

Stridentes inflare tubas, sonituq; canoro

Protinus armatos ad signa ciere maniplos.

Hinc & per totum penè biennium, vel præterpropter ubiq; locorum, & ut alibi, ita & in patria hac nostra charissima,

Buccina tergeminum intonuit, teretrum teretrum trum

Et tuba terrificum insonuit taratantara tanta.

His primitus mediis & intermediis miles quidem conscriptus, lectus, & vicissim hujuscemodi conscripti atque lecti militis delectus, ac lustrationes, quas voceant, publicæ habitæ fuerunt. Ut ut autem hæc sese habeant, negari tamen non potest, quod prædicti hi actus omnes, defensorio potius, quam offensivo, quam executivo animo atque proposito cepti, gesti, acti, ac perfecti sint: uti & illud: quod Nobilissimus Equester ordo, indies ac momentaneè in procinctu stare, jussus sit, quod inter cives & rucolas totius Electoratus, & adnexarum Provinciarum, delectus quidem habitus, ac certus numerus electus sit, & omnes illi, in numerum & militem ejusmodi, uti dicunt, defensivum, sive defensorium, electi subditi, cotidie hastam stringere, verum bombardarum usum addiscere, gressum & incessum militare observare, cursum celeriore & tardiore animadvertere, castra constituere, & munire, in acie ordines & intervalla custodire, & dispositos ordines servare, nec ultra quam decet, conglobare vel laxare agmen docti, & ad alias artes atque exercitia bellica assuefacti sunt. Nec enim hi actus aliud vel in fronte gesserunt, vel in recessu secum traxerunt primitus

mitus aliud, quam ipsam charissimam nostram Patriam justissimam,
 & vel sanguine honesto necessario suscipiendam defensionem.
 Ad eundem etiam finem, seu potius ad prorsus avertenda om-
 nia, cervicibus nostris & communi Patriam impendentia, ma-
 la atq; pericula instituta ac directa fuerunt, quas primo loco
 ponere & nominare debuissem, preces publicae: vigore qua-
 rum, Deus omnipotens atq; altissimus, indies devotissime de-
 fatigatus ac sollicitatus fuit, vellet divina sua clementia, ortas
 in Bohemia seditiones & belli non scintillas, non flammam am-
 plius, sed de die in diem longius latiusq; serpentina, ac flagran-
 tia bella, per consilia illis contraria, hoc est pacisuada extin-
 guere, eradicare, & longè cispellere. Hæc, inquam, & ante-
 cedentes actus reliqui, præparatoria quidem quæpiam fuere,
 & potius defensorio nomine, quam offensivo, quam executi-
 vo animo suscepti sunt: quando verò ad ipsum executionis
 Cæsarianæ commissum munus deventum est, alia tunc hæc res
 diducta fuit via, alio modo injuncta atq; debitè suscepta Com-
 missioni satis fieri ceptum, ejusdemq; tenor ad unguem obser-
 vatus fuit. Qui sic? De Atheniensibus sive Græcis in genere
 historiae narrant, atq; hinc inde testatum faciunt, quod si ipsis
 bellum quoddam sive cum Xerxe, sive cum aliis hostibus, o-
 mnino ac necessario gerendum fuit, illi semper antè suscep-
 tionem ejus, Legatos suos ad Delphicum miserint Oraculum,
 ac eo ipso, non solum jam dicti belligerundi confirmationem
 inibi conquisiverint, sed insimul etiam pro felici successu, &
 exitu secundo devotè sollicitarint. Idem de Romanis Histo-
 riarum memorant involucra, eorundemq; autores, quippe
 qui & ipsi, nihil neq; domi, neq; militiae, nisi prævio Augu-
 rum suorum, in hanc rem constitutorum, consilio, atq; præ-
 sagio certissimo gesserunt: & hi ipsi Pontifices illorum Maximi,

vel ex tonitru, vel ex avium volatu & garritu, vel ex pullis avium, vel ex quadrupedibus, vel deniq; ex insolitis quibusdam & miraculosis casibus, sua desumere solebant vaticinia, ac secundum ea consulentibus respondere, atq; hi vicissim secundum reportatam responsionem suas instituere actiones, cum privatas, tum publicas laborabant; certissimè statuentes, quòd non solùm hoc modo prædictæ illorum actiones felicem sortiri possent effectum, verùm etiam nullius calumniæ subicerentur illæ actiones, quæ à diis comprobatae essent, ut inquit apud Livium Cn. Manlius, laudet jam nunc, vel vituperet, meo iudicio, meoq; permisso, hæc Ethnicorum hominum facta, qui vult, Mihi certè hac vice idem facere non licet, hoc ergò solum addo, quòd longè melius mihi videtur fecisse Cyrus, qui, teste Xenophonte, in auxilium Medorum profecturus, & Assyriorum agros irruiturus, initium Belli ab invocatione Dei faciendum esse, duxit. Sic etiam è Sacrosancta scriptura, & historiis in illa contentis notatu dignissimis, notius est, quàm quòd ulla probatione indigeat, Moysen prælium Domiai, cum Amalechitis impiissimis, invasurum, non solùm in initio, sed etiam totius prælii tempore, ac spacio, ad ferotinam usq; noctem, elevatis ad Deum manibus, eundem pro felici successu & exitu prælii felici, supplicibus votis defatigasse. Ne quid de Josua, Davide, Hiskia, & aliis Israelitarum ducibus, ac regibus, dicam, qui omnes in belli susceptione primum omnium ad preces, tanquam solida & fortissima arma confugerunt, & previis, seu potius median- tibus illis, prosperrimos in bellis susceptis habuerunt successus.

Quo ergò & Serenissimus Noster Elector, in arduo hoc & ambiguo fatis, fatisq; periculoso executionis munere, à Deo Ter-Opt: Ter-Max: consimilem felicem exitum, impetrare posset, non erubuit, nec abs re sese facturum, quinimò, omni-
no ne-

no necessarium esse, duxit, reputavit, cum ante, tum in ipso Com-
 missionis actu, belli formam referente, non solum ipsemet ar-
 dentissimas secum ad Deum fundere preces, verum etiam cer-
 tas, & specialiter in hanc rem conceptas, ordinare precum for-
 mulas & insimul curare, constituere & mandare, quo illae in uni-
 versis atq; singulis Ser: C. ipsius subditis, provinciis, indies ac pe-
 ne in omnibus publicis congressibus sacris, publicitus praelege-
 rentur, & auditores subditi ad devotissimas, ardentissimas, con-
 tinuasq; earum precum repetitiones, ac ingeminationes admo-
 nerentur. Memor videlicet Ser: illius C. fuit, illius, quod Plinius
 Paneg. ad Trajan. scribit: Nihil rite, nihil prudenter homines
 auspiciari, nisi Dei Immortalis ope & Consilio: & alterius illius e
 Sacrosancta scriptura petiti moniti, quo dicitur: Non in multi-
 tudine exercitus victoria, sed de caelo fortitudo, &c. Quia vero,
 secundum communiter jactatum Proverbium, Verba non sufficiunt,
 ubi facto opus est, nec solis precibus hostibus obviandum, sed &
 ipso facto in aciem, simul & in publicum prodeundum est: en ec-
 ce! praemissis & continuatis jam dictis, tam privatis, quam pu-
 blicis precibus ardentissimis, Serenissimus Noster Elector, ad
 alia etiam belli necessaria transitum fecit. Ac praevia matu-
 rum cum magnatibus, viris prudentissimis, rei q; militaris expertissi-
 mis, deliberatione, probe vires suas expendit proprias, & nun-
 quid in casu & causa praesenti necessarium exercitum, vel totum vel ma-
 jorem ejus partem, ex sibi subjectis colligere vellet an vero extero po-
 tius milite ad expeditionem hujus rei, uti deberet, in utramq; partem
 discussit. Cumq; ipsi non esset incognitum, multum interesse, mili-
 tem quis haberet patrium, an vero extero sese committere tenere-
 tur, eo quod illi patrii nepes, & sibi subjecti milites, tanquam pro
 sua suorumq; vita, pro aris itidem & focis dimicantes, majori sem-
 per fide, majoriq; studio auxiliari soleant, cum e contra miles
 externus

externus solam pecuniam, qua conducitur, spectet, & hac presente opem ferat, deficiente eadem eandem detrectet. Quid quod, politicis omnibus testantibus, ab externo milite, propter non soluta stipendia semel irritato, novæ cotidie petitiones novæq; belli occasiones, & querimoniae proponantur, quarantur? hinc Thucydides eam Rempubl: facile vinci posse, non dubitavit asserere, cujus vires mercenariae essent, non vernaculae, Polybius, infirmam Rempubl: eventi dixit, esse & facile, posse quæ nullos nisi extraneos milites haberet. Ut alia, quæ milite extranei turmatim secum ferre solent, & hinc inde à Politicis adnotata invenio, incommoda taceam.

Hisce igitur omnibus diligentissime perpensis, Serenissimus noster Elector denuò quidem militem conscripsit numerosum, sed non prorsus externum, verum, communem patriam si spectes, maximam partem patrium. Ac quò cum pericula, tum praesagia illa, quæ paulò ante ex innominatis politicis, uti & Polybio ac Thucydide adducta sunt, eò melius precaveret, ac quantum in illo esset eò certius averteret, & fallacia illa esse, exemplo suo, & ipso eventu, ostenderet, Serenissimus Noster Septemvir, ita rem omnem moderatus est, non solum in eventum, ac defensionis limitum patriorum gratiã, externo conscripto militi, patrium adjungeret, ac quæ subordinaret: Verum etiam tam huic, quam illi, Magistros præfectos Belli præficeret maximam partem patrios, & quosdam tales, qui omnes, quid in milite extero lateat, jamdum antè probè cognitum haberent atq; expertum, & proinde paulò antea allegata pericula, sapientissimis suis Consiliis quantum humanitus fieri potest, avertere optimè nossent. Habuit quidem, fateor, quævis gens, ac aluit quævis terra antea hac, semper suos fortissimos, simul & prudentissimos bellorum duces

duces: ac nominatim in Bello Trojano præreliquis celebres fuerunt, à partibus Archivorum, Agamemnon, Menelaus, Nestor, Palamedes, Ulysses, Diomedes, Ajax Telamonis filius, Achilles, Patroclus, Ajax Locrensis, & Glaucus: à partibus verò Trojanorum primas tenuerunt, Priamus, Hector, Deiphobus, Troilus, Æneas, Antenor, Memnon, Æthiops, Titanis & Auroræ filius, Penthesilea Amazonum Regina, Telephus Myſorum Rex, ejusq; filius Eurypilus, Helenus Rex in Epiro, & Aſcanius.

Sic ſequentibus temporibus iterum inter Græcos ſiſſimi extiterunt, Miltiades, Ariſtides, Themistocles, Cimon, Phocion, Eurybiades, Pauſanias, Pericles, Nicias, Alcibiades, Pelepidas, Epaminondas, & alii illiſimiles. Inter Romanos verò univerſi penè terrarum orbis Dominos, tanquam celeberrimi numerantur, poſt Romulum ac Remum, primos illorum autores, ac Reges reliquosq; eorum ſucceſſores, Cneus Martius Corolianus, Camillus, Titus Manlius Torquatus, ambo Decii Pater & Filius, Fabricius, Regulus, Cornelius Scipio, Flaminius, Q. Fabius Maximus, Publius Scipio Affricanus, Julius Cæſar & alii innumeri. Nec talibus fortiffimis viris unquam deſtituta fuit communis hæc patria noſtra Europa, quippe in qua, quovis penè, non dicam, ævo, non decennio, non luſtro, non triennio, dicam, ſed quovis fermè anno tot Illuſtriſſimi ac Fortiſſimi prodierunt Heroës, ut ob hanc ipſam fertilitatem, illam Trojanum Equum redivivum, quis non immeritò dixerit. Atq; ut reliquos taceam, ut præteritis ſenioribus & ævum vitamq; noſtram excedentibus præteritis, eos tantummodò referam, qui ſuperioribus hiſce noſtris annis in Ungaricis & Turcicis expeditionibus bellicis, & maximè circa Albæ Regalis, circa Hatvvaui, circa Strigonii, circa Jaurini, circa

circa Siseckii, & reliquorum propugnaculorum recuperationem præ reliquis celebres fuerunt atq; illustres, nonne ætas illa tulit Rupertum Eggenbergium, Palsium, Melchiorum Riederum Baronem Silesium, Franciscum Nadastium Schvartzenbergium, Fridericum Tieffenbachium Colonitzschium, Austriæ Barones, Carolum Mansfeldium, Rusvurmium per nobilem illum Thuringum, Mercurium, Alheiminum, Geisbergium, Waba, Curtium & alios? His omnibus tamen, ob ætatem quidem, & antea gesta, primas, credimus, reverenter relinquunt, at certè exquisita rei militaris scientia, fortitudine admiranda, prudentia insigni, ineffabili demum felicitate, vix cedunt Serenissimi Electoris Nostri conscripti belli Duces, & equitum Magistri, cum Officiariis reliquis, habuit quippe, & etiamnum Dei beneficio habet, Serenissimus Noster Septemvir à Consiliis bellicis, à latere, & ad utrumvis in procinctu paratos, tot tamq; fortissimos Heroes, tot tamq; lectissimos militum præfectos, & Officiarios alios, ut vel solus illorum adspectus atq; intuitus summam animi magnitudinem & fortitudinem Corporis eximiam alicui exhibere & æquivalentiam cum illis ostendere cupiam posset ac valeat. Gestit quidem animus, gestit insimul calamus nomina eorundem, & unà cum his simul officia illorum hic speciatim exprimere: nec hoc solum sed & virtutes illorum & animi dotes insignes paulò fusiùs vobis ob oculos ponere; Quia verò tantus illorum extat numerus, ut orationis hic gyrus illum vix capere possit, quia etiam facile fieri posset, ut is, qui priori loco ponendus erat, posteriori poneretur loco, & vice versa: Quia prædictæ illorum animi & Corporis dotes tantæ sunt, ut singularem aliquam Orationem exposcere sibi videantur; quia deniq; propositi hujus uti & ipsius temporis, omnino habenda est ratio, satius esse

duxi generali aliqua descriptione, mentionem illorum fecisse, quàm ad specialia digredi: illis itaq; hac vice præteritis, ad reliqua belli hujus media, remedia atq; adminicula transcendam, & quibusnam Serenissimus Noster Elector ulterius usus sit remediis, vobis ostendam.

In quorum numero & ordine, sese mihi ipsa exhibent arma, J. Consultis Nostris è Varronis sententia, ab arcendis hostibus sic dicta, licet fortè nec Festi Etymologia prorsus rejici vel possit vel debeat, vigore cujus arma quasi ab armis, hoc est, humeris dependentia dicuntur, maximè quia negari non potest, quod arma alia tuendi nostri gratia habeantur, alia ad offendendum comparata sint, atq; sic hæc posteriora ad Varronis, ac J. Consultorum nostrorum derivationem, illa verò ad Festi Etymologiam aptanda esse videantur.

Cumq; secundum saniorum Politicorum doctrinam in susceptione belli, inter reliqua, & hoc requiratur, ut Dux Belli consideret, quæ sit ejus regionis, quam debellare constituit, natura, quæ loca, quis aditus, quæ civitates, quæ arces munitæ expugnandæ sint, quæ expugnari possint vel non? Quibus Instrumentis & machinis bellicis, quanto cum sumptu, & quanto tempore expugnatio illa fieri possit? Ac si deprehendat, hostem arces & civitates habere, quæ nulla arte & industria, vel difficulter saltem, expugnari possent, rursus cogitet, quam commodissima ratione hostem aggredi & è locis munitis in Campum suo tempore producere valeat: Ecce! nec hac in parte prudentissimi Belli ducis deesse officio voluit Seren: Nost: Elect: verùm prædictis omnibus diligentissimè ponderatis, atq; perpensis, de armorum multivariis generibus, & numero eorundem satis numeroso valdè sollicitus fuit, ac illa non solum è privato, an publico armamentario dicam? non scio,

M

scio,

scio, desumi, verum, cum inter milites utriusque generis distribui, tum in promptu reservari plurima, & suum quodvis genus ad certum usum destinari curavit. Vidisses ibi Galeas, cassides, thoraces seu loricas utriusque generis innumeras: Vidisses hastas, bipennes, machæras, romphæas, bombardas, seu machinas fulminales infinitas & variorum generum: Vidisses muralia Instrumenta, & præliares machinas plurimas, quæ more Romano draconas, Crocodilos, Basiliscos, colubros & lacertos merito dixisses, sive adhuc dixeris. Aderat præterea pulveris bombardici, uti & curruum ac jumentorum, ad usum & vecturam machinarum fulminalium necessariorum copia. Nec minori cura aut diligentia de comeatu pabuli & frumenti providebatur: Attento, quod penuria sæpius magis, quàm ipsa pugna, consumere solita sit exercitum, & ferocior sit ipsa fames, quæ intrinsecus pugnat, & nulla vi repelli potest. Considerato, quod reliquis casibus subveniri quandoque possit, pabulatio verò & annona in necessitate remedia habeat nulla, nisi prius condantur. Unde Xenophon, non abs re, dixisse perhibetur: Brevi ejus Ducis Imperium periturum esse, cujus culpa exercitus careret rebus necessariis, & comeatu. His ergò omnibus quàm diligentissimè perpensis, quàm sufficientissimè præparatis, maximè autem Deo Omnipotenti Ter-Opt: Ter-Max: quàm ardentissimè invocato, ut belli necessitatem à cervicibus nostris clementissimè avertere & partis adversæ pectora ad pacis studium, & petendas ejusdem conditiones honestissimas inclinare & inflammare vellet, eductus tandem est & in fines Electorales ac Lusatiaë confinia positus Electoralis exercitus.

Quamvis autem Serenissimus Elector Noster non ignoraret, Caij Julii Cæsaris Romanorum Imperatoris I, doctrinam,

nam: Magna, dicentis, negotia gerenda, non consultanda esse, exemplo Alexandri illius, & re & nomine verè Magni, qui Nestorianum secutus consilium, apud Homerum cuiusdam percunctanti, quomodò tot & tantas res tam brevi temporis spacio confecerit? respondit: μηδὲν ἀναβαλλόμενος, ex quo idem Caesar, Pontico Triumpho, inter Pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: Veni, vidi, vici, non acta Belli significantem, ut cæteri, sed celeriter confecti notam: Quamvis, inquam, hæc omnia non ignoraret Serenissimus Noster Septemvir: in expeditione tamen arduæ hujus, & periculi plenissimæ Commissionis Casarianæ eidem Serenissimo Electori nostro, magis arridebat D. Octavii Augusti Romanorum Imperatoris II. sententia, qui, nihil minus, dixit, Duci perfecto convenire, quàm festinationem & temeritatem.

Itaq; dicere eum in sermonibus, & scribere in Epistolis solitum ferunt, *ἄεὺδὲ βραδέως*: Festina lentè! tutus enim est melior, quàm temerarius Imperator. Maximè quia, teste Livio, nihil magni discriminis consiliis tam inimicum est quàm celeritas, & ut idem alibi scribit, omnia non properanti clara certaq; sunt: Festinatio improvida est & cæca. Et quia præterea ex publicii Mimi sententia,

Diu apparandum est Bellum, ut vincas celerius.

quoniam, ut Cornelius Tacitus ait, Victoria consiliis & ratione perficitur, ac alibi, scelera, inquit, impetu, bona consilia mora valescunt.

Insuper quamvis belli administrationem publica ejusdem indictio, quam Romani clarigationem à clara voce, qua utebatur Pater patratus, dicebant, eum in finem præcedere debeat, ut mora quapiam interveniente, bellandi quasi furor temperetur, ac interim fortè belli causa è medio tollatur:

M 2

Maximè

Maximè autem hujuscemodi indictio Belli publica tum necessaria sit, ubi adest causa Belli vindicatoria; finaliter, secundum Ciceronem, nullum bellum justum esse possit, nisi quod aut repetitis rebus geratur, aut denunciatum prius sit, atq; indictum: eamq; ob rem, non abs re J. Consultorum Nostrorum coryphæi, Baldus & Johannes Andreas, dixisse videantur, speciem prodicionis esse, movere arma sinè diffidatione, hoc est denunciatione Belli. Agite, postposita festinatione Julio-Cæsariana, maluit Serenissimus Elector Noster hac in parte temporis, & consueto stylo, aliquid dare, uti & prædictis monitionibus, plus tribuere, quàm tacito hostili atq; Tyrannico impetu, in hostes, dum temporis nondum hostes, eorumq; fines, ac territoria irruere, castra metari aut aliis sævitiis ipsos adori bellicis. Hinc & literis ad utriusq; Lusatia præfectum Regium scriptis, atq; missis, eundem, autoritate ac nomine Invictissimi Cæsaris, jussit Prælatos, Barones, Equites, ac reliquos utriusq; Lusatia ordines, atq; status, per proclama consuetum, & publicum certo die convocare: Idq; eum potissimum in finem, quo ille ipse Elector Noster Serenissimus, taliter publicitus ac legitimè convocatis atq; congregatis Prælati, Proceribus, Equitibus ac ordinibus reliquis omnibus, Commissionis suæ Cæsarianæ tenorem, & conditiones illi adnexas, eò melius significare, ac quasi communicatis consiliis apud illos, antequam ad ipsa deveniretur arma, eò commodius omnia tentare posset. Quod si rem noviter gestam cum antiquo rei gerundæ modo conferre liceret, hoc ipsum Serenissimi Nostri factum non leviter, opinor, illustrari posset. De veteribus quippe Romanis Varro scribit, quod illi antequam Bellum, etiam vindicatorium, inierint, semper prius ad res repetendas Legatos suos miserint, & hic ipsorum mos in æternam ipsis cessit laudem

laudē. Verba Varronis hæc sunt: Romani, inquentis, bella & tardē, & nulla licentia suscipiebant, eò quod nullū bellū, pium nisi putabāt, geri oportere, priusquam etiā indicerēt, bellū iis, à quibus injurias factas sciebant, Feciales Legatos, res repetitū, mittebant quatuor, qui, si postulata impetrassent, fædus cū iis, ad quos missi erant, feriebant: sin minùs, re deliberata, bellū indicebāt.

Legationis hujus Exempla ponit Livius, quæ sub Tullo Hostilio III. & Anco Martio IV. regibus Romanis accidere, qui Legatos suos ad repetendas res ablatas, Albam, & Latinos miserunt, ubi insimul modus ejusdem describitur, & quod Anco Rege Romano autore, ille talis fuerit ostenditur: Fecialis Legatus ubi ad fines eorum venit, qui injuriam intulerunt, capite velato: Audi Jupiter, inquit, ego sum publicus nuncius Populi Romani, justè pieq; legatus venio, verbisq; meis fides sit. Deinde peregit postulata, & super iis Jovem testem fecit: si ego, inquit, injustè impieq; hoc vel illud Populo Romano, mihiq; postulo, tunc patriæ compotem me nunquam sinat esse. Hæc cum fines superascendit, hæc quicumq; ei primus obvius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingressus, paucis verbis carminis concipiendiq; Jurisjurandi formula mutata peregit; Quod si factum non fuit, quod postulavit, diebus tribus & triginta peractis, sic rursus dixit: Audi Jupiter, & tu Juno Quirini, Dii omnes coelestes, vosq; Terrestres, vosq; Inferni audite: Ego vos testor, Populum illum Latinum injustum esse, neq; Jus persolvere: sed de istis rebus in Patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur, atq; his abiens, in Patriam reversus fuit. Redeunte autem ad consulendum Romanum Feciali, confestim Rex his fermè verbis Patres consulit: Quarum rerum, litium, causarum condixit, pater patratus Populi Romani Quiritum, patri patrato pris-

corum Latinorum, hominibusq; priscis Latinis, quas res nec
 dederunt, nec solverunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, sol-
 vi oportuit, dic, inquit, ei, quem primum sententiam rogavit,
 Quid censes? tum ille, puro pioq; duello quarendas censeo,
 itaq; consentio, consciscoq;. Inde oratione quapiam alii ro-
 gabantur: & quando major pars illorum, qui aderant, in ean-
 dem ibat sententiam, Bellum erat consensu fieri solitum; &
 Fecialis hastam ferratam aut consanguineam præustam ad fines
 eorum tulit, & non minus tribus puberibus præsentibus præ-
 dixit: Quod Populi priscorum Latinorum, hominesq; prisci
 Latini, adversus populum Romanum Quiritum, fecerunt, de-
 liquerunt: quod Populus Romanus Quiritum, Bellum cum
 priscis Latinis iussit esse Senatusq; Populi Romani Quiritum
 censuit, consensit, conscivit, ut Bellum cum priscis Latinis fie-
 ret: Ob eam ego Populusq; Romanus, Populis priscorum Lati-
 norum, hominibusq; priscis Latinis bellum indico facioq;.
 Hæc illi, Livio & Plutarcho Historicis gravissimis, & testibus o-
 mni exceptione majoribus, fide dignissimis unanimi consensu
 perhibentibus. Media, credim, ad pacis conditiones quærundam
 das & aucupandas non incommoda, non vulgaria, non cõtēnen-
 da: Modum etiam, cum ad res, sine omni cade ac sanguine re-
 petundas, tum ad restituendas easdem sine iisdem, satis aptum
 convenientem satis, satisq; utilem! Norunt nempe hi Roma-
 ni Quirites & cogitarunt altissimè, quæ mala bellum comitari
 soleant: veluti quod passim segetes proteratur, exurantur villæ,
 incendantur pagi, abigantur pecora, virgines constuprentur,
 trahantur in captivitatem senes, diripiantur fana latrociniiis,
 prædationibus & violentia omnia sint plena & confusa. Imò
 norunt & cogitarunt Romani hi Quirites, quod etiam Bellum
 iustissimum sequi soleant incommoda, ut puta, quod plebs
 expiletur,

expiletur, onerentur Proceres, tot semes orbi fiant, & simul
 in caede liberorum occidantur, tot anus destituantur & crude-
 lius quàm ferro perimantur, tot matronæ viduæ, tot liberi or-
 phani, tot domus funestæ existant, tot opulenti ad inopiam
 redigantur, Norunt & perpenderunt Romani hi Quirites,
 varios esse Belli casus, & minimo momento res maximas vol-
 vi: Martis aleam esse dubiam, & sæpè eos, qui iustam cau-
 sam habent, succumbere. Nec aliter quàm pecunia, nostro
 arbitrio, aleæ exposita, ilicò alieni fit Juris, incertum cui ces-
 sura fit: Ita moto Bello Magistratum atq; ditionem totam in
 dubium fortis eventum conjici, ut Lud: Vives loquitur in
 Episto: quapiam ad Henricum VIII. Regem Angliæ per-
 scripta. Quod si idem prisci illi Latinorum Populi, ut pro-
 cul dubio norunt, ita secum cogitassent, perpenderent: quod
 si idem principio Lusatiæ Nostræ incolæ & civitatum Recto-
 res uti vel revera norunt, vel certè nosse debebant, cogita-
 sent, ruminassent: nec hi, credum, nec illi in tantas conje-
 cti calamitates, nec & Pacis conditiones, quas antea toties
 alto quasi contemserunt supercilio, contempsissent, nec eas-
 dem postmodum, flexis poplitibus, orare atq; exorare coacti
 essent. Etenim ad casum paulò antè id hoc tempus præteri-
 tum, & jam nunc singulari Dei beneficio perfectum Serenissi-
 mi Nostri opus cepto stylo redeundo, & hoc vigore superius
 petita licentiæ, cum jam relato antiquo rerum repetunda-
 rum modo & pacis quærundæ mediis antiquis, si non in
 omnibus, in aliquibus tamen conferendo; Nonne Se-
 renissimus Noster Elector, non Fecialem, aliquem infi-
 mæ fortis, nec etiam mediocris cujusdam conditionis
 hominum, sed Legatum suum ac subdelegatum Commis-
 sarium Nobilissimum & cum scientiæ rei militaris, tum
 Eloquii

Eloquii gravissimi bonis ac donis sufficientissimè instructum
 Dominum Jacobum à *Srienthal in Voigtstadt* Consiliarium
 Bellicum & Generalem Commissarium, nec non incluti co-
 mitatus Mansfeldici Inspectorem primarium, ad Lusatia Pro-
 ceres & Budissinam civitatem misit? Nonne eidem literas,
 quas vocant, denunciatorias tradidit? Nonne eundem, non
 uti Romanus Fecialis velato, sed aperto potius capite, imò
 corde atq; animo aperto, omnibus illi obviis factis, Legatio-
 nis suæ causas referare, & ab iisdem res Casarianas ereptas, vel
 quasi, repetere jussit? Nonne ipsemet Elector Noster in rela-
 tis literis denunciatoriis, admodum notanter & ardentè, non
 Jovem illum fictum Deastrum, aliosq; fictos Deos Quirinos
 sed ipsum Deum Ter-Opt: Ter-Max: verissimum cordium
 scrutatorem, & præscientissimum omnium actionum humana-
 rum Dominum in testem vocavit, quod Plauti verbis, si uti
 ut credo, licet justè à justo justus esset datus Orator? Nonne
 iisdem literis denunciatoriis satis superq; ostendit, quo animo
 quaq; intentione res Casarianas ereptas, vel quasi, peteret, re-
 peteret? Nonne Lusatia omnibus omnia mala futura, quæ
 jamdum antea à me paululum tacta atq; relata fuerunt, præfa-
 giit, & illa omnia probè ponderare seriò jussit? Nonne idem pe-
 nè, quod Quirites Romani temporis spacium, trium & triginta
 nempe dierum, antequàm extremam Commissionis suæ execu-
 tionem aggredere, observavit? Nonne hostibus postulata
 prima vice renuentibus, ter eadem verbalibus, aliquoties ve-
 rò realibus monitionibus repetiit? Nonne iisdem portam Bu-
 dissinæ urbis primariæ ingressus, Nonne iisdem forum, quini-
 mò totum prædictæ civitatis Budissinæ ambitum aggressus est?
 Dubitatis P. C. de his, quæ jam retuli? legite, quæso, ipsas, quas
 allegavi literas denunciatorias, majoris fidei, autoritatis maje-
 ris, ma-

joris, majoris deniq; excusationis gratia, typis publicis, in omnes terras, quinimò in omnes omnium terrarum angulos divulgatas, distractas: legit etiam annales horum temporum historias, & dubio procul illa, quæ dixi, verissima esse, apprehendetis. Atq; ne de sæpius dictis literis, uti & nec de ipso jamdum antea allegato Commissionis sive subdelegationis Grüenthalii actu, quàm par est, longior sim, multò minus ipsemet de hoc subdubitare nonnihil velle videar, nunquid nempè cùm hic posterior nominatus actus, tum illæ priori loco nominatæ literæ, usitatæ clarigationis notæ, atq; actus certissimi, quinimò certissima ac sufficientissima pacis acquirundæ & amplectendæ media fuerint atq; incitabula? de quo tamen nemo, opinor, sanus, ac cerebrum candido, quod ajunt, helleboro purgatum, pectusq; ab omnibus personalibus affectibus vacuum habens dubitat, vosmet ipsos P. C. testor, & ex vobis publicè impræsentiarum quæro; nunquid quisquam vestrum esse possit, qui inficias ire ausit ac negatum, jam dictum Legationis ac subdelegationis actum, ut & ipsam literarum denunciatoriarum transmissionem sufficientissimæ Indictionis signa sufficientissima fuisse. Nec hæc solum talia fuisse, sed vel ipsammet etiam Lusatorum Procerum, ac Nobilium Provincialium arreptam fugam, bonæ Saxonico-Septemviralis-Cæsariæ causæ, & publicæ justissimi Belli indictionis, luculentum testimonium fuisse: proinde unà cùm illis antea relatis indictionis signis publicis, etiã hanc tacitam fugam ipsis incolis ac subditis ad acceptandas Auræ Pacis condiciones, incitamento, atq; exëplo saluberrimo esse debuisse? Attento, quod consciëntiæ hominis interna stimulus internus mille testibus prævaleat: & ipsa fuga nõ sapientiæ, nec fortitudinis, sed stultitiæ, sive jamdum antea contractæ, sive præsentis signum sit, secundum Ciceronem ex mente Stoicorum.

N

Conside-

Considerato, quod felix dicatur ille, quem faciunt aliena pericula cautum, & secundum Musam illam decimam, Plautum volo:

Feliciter sapiat, qui alieno periculo sapit.

Sed & nec alia indictionis belli publicæ defuerunt media. Nonne quippe fontium atq; rivorum publicorum deductiones, sivè aquarum privationes? Nonne itidem viarum publicarum obfessiones, & comeatus publici interceptiones? Nonne turrium toties vi Bellicarum machinalium inchoata dejectiones, murorum itidem cum similibus instrumentis Bellicis aliquoties tentatæ demolitiones & actus hujuscemodi alii pro realibus potius futuri belli indictionis signis, atq; dehortationibus prægnantioribus, quàm pro prorsus hostilibus & capitalibus totalis everfionis actibus reputandos esse, autumatis? Ac consequenter illis ipsis Serenissimum nostrum Septemvirum, cum ipsos Budissinæ urbis, taliter impugnatae atq; obsessæ, incolas tum accolas eorundem, & vicinas Civitates, unâ cum reliquis utriusq; Lusatiæ Marchionatus subditis, atq; incolis, ad Concordiam potius, ad pacem, ad Obedientiam Deo & Cæsari debitam incitare instigare atq; irritare, quàm hostili animo aggredi, sævioribus mediis Bellicis oppugnare, & radicitus eosdem evertere voluisse? Ita puto! ita statuo! ita vos, credunt, statuitis unâ mecum: Et quid nî ita putarem, quidni ita unâ vobiscum statuerem? cum negari non possit, quod, si Serenissimo Nostro Electori mens sævior fuisset, in contrarium & consilia ejusdem in deterius, ac radicalem, cum obsessæ urbis Budissinæ, tum totius Lusatiæ everfionem atq; extirpationem directa fuissent, ille longè majori impetu, expeditione longè celeriori rem omnem aggredi, in ipsos Lusatos irruere, & magis severè, id quod in animo, quod in mandatis habuisset, effectum reddere

reddere potuisset; nec tanto temporis spatio, nec tot tantisque
 sapissimis uti opus habuisset, cum Realibus, tum verbalibus
 Indictionis Belli generibus, & aliis ad lenitatem saltem ac cle-
 mentiam directis actibus. Quia verò toties devotissime no-
 minato Electori Nostro, procul dubio, Ausonianum illud in-
 mentem venit, dicentis:

Quid prudentis opus? non velle, & posse nocere.

Quid stulti proprium? non posse & velle nocere.

Quia optimè norat, quod cunctatio Fabiana sæpè pluri-
 mum momenti haberet in Bello, & secundum Politicorum sa-
 niorum monitum, quem morâ ac famè vincere possumus, eum
 armis adoriri non debeamus; Idq; ideò, quò militi nostro par-
 camus. Maluit certè Serenissimus Noster Elector Clementiæ
 potius quasi quæpiam & misericordiæ, quàm crudelitatis signa
 per prædictos actus edere, & si in alterutro, liceat ita loqui, pec-
 candum esset, mora potius, majoris periculi avertendi, quàm in-
 evertendi irreparabili festinatione ac Commissionis Cæsareæ
 damnosa præposteratione peccare. Modò peccatum hoc,
 si modò peccatum politicè indigetandum est, agnovissent Lu-
 satii, & maximè Budissinæ civitatis ejusdemq; Regionis Regiæ
 atq; egregiæ Proceres, subditi & incolæ reliqui, ac per illud
 ipsum, majora peccata & pericula avertendi occasionem arri-
 puissent, eamq; posthac calvam, & fortunam ac clementiam
 Saxonico-Septemviralem-Regio-Cæsarianam ipsis novercam
 fieri posse cogitassent, ac dubio procul res ipsorum magis in-
 vado, ut communi proverbiali Schemate dici solet, essent: Nec
 hæc Saxonico-Septemviralis-Cæsariana Commissio, ejusdemq;
 actualis executio, respectu jam nominatæ Civitatis Budissinæ,
 ejusdemq; incolarum ac subditorum, tam Tragicum sortita
 fuisset exitum; Ad cujus Relationem antequam descendatur,

non inconvenienter, puto, hic etiam inferitur, hostis, haecenus nondum hostis nominati, hostilis animus, actus hostiles, verbaq; & facta plusquam hostilia: idq; eum in finemquò tandem animosior, fortior & gloriosior hujus ipsius Commissionis Saxonico-Septemviralis-Cæsarianæ existat exitus, & per narrationem prædictorum actuum hostilium, Ipsemet Elector Noster Serenissimus ab omni immanitatis ac sævitiae culpa eò magis & luculentius excusetur, hujus deniq; ipsius Orationis adhuc reliquum membrum speciale tertium, eò latiore, imò latissimum latissimumq; portum appellere, ac eo ipso egomet prævia debita gratiarum actione & acclamatione faustissima optatissimum dicendi finem consequi ac facere valeam.

Quid ergò Lusatii? & inter illos primùm impetiti & obsessi Budissini? Nunquid navos suos, & in adhærendo, ac manus auxiliares Bohemis rebellantibus, & tandem prorsus à suo Rege legitimo atq; ordinario deficientibus, ferendo commissa crimina agnoscere? Nunquid Juramenti Sacrosancti D. FERDINANDO jamdum antea post electionem, creationem, & inaugurationem ipsius ordinariam, debitam ac legitimam, actualiter & erectis digitis præstiti memores, illum pro vero, legitimo atq; ordinario Rege suo cognoscere? Nunquid juratam fidelitatem ipso facto ostendere & effectum reddere? Nunquid animarum pericula, ob dubiam Religionis statum & periurii ipsis inhærens vitium, avertere? in clientelam & debitam devotionem Cæsaris sese ac sua bona submittere? Nunquid Correorum rebellionis ac defectionis criminum veniam petere, pro liberrimo orthodoxæ atq; sinceræ Religionis, uti vocant, Lutheranae exercitio nec non pro clementissima omnium haecenus impetratorum Privilegio-
rum

rum concessione, renovatione ac reiterata confirmatione supplices fieri? Nunquid publicam communis Patriæ salutem & incolumitatem Auræ Pacis studio factam tectamq; potius conservare, quàm relicto & rejecto hoc, illam dubiæ belli sorti committere, atq; sic ipsam patriam in præsentissimum periculum conjicere? Nunquid cædes, rapinas, spolia, & alia ejusmodi paulò superius fusiùs non nihil enumerata, omnibusq; bellis propria, & certò certius inhærentia mala à propriis suis, à liberorum suorum, à conjugum deniq; suarum cervicibus amoliri? Nunquid rerum ac fortunarum suarum liberiolem & pacatiorem possessionem, usum atq; administrationem continuare potius, quàm aut per vim defendere atq; retinere, aut demta ac peremta hac, illas in alienas manus transmittere, voluerunt? Debuissent utiq;: aut quòd vel non potuerint, vel pars eorum noluerit, ostendit expressa quorundam Commissioni Saxonico-Septemvirali Cæsarianæ parendi denegatio, & è contra intrepida atq; indefessa Bohemis rebellantibus ulterius ad assistendi libido ac cùm verbis, tum facto declarata voluntas. Uti & illud, quod Aliqui clam missis ad regem posteriorem ac illegitimum vel Legatis vel saltem nunciis, copias ab eo auxiliares petierunt, petitas impetrarunt, impetratas receperunt. Sed leviora fortassè hæc & in meliorem partem interpretanda aliquis putabit factæ maximè quia exitus postmodum docuit, quòd correctæ illa fuerint, & consequenter hac vice à me charitatis Christianæ pallio tegi, ac si non quodammodo excusari, silentio tamen potius involui, quàm iisdem denuò exprobrari debuissent, nì his ipsis relatis facinoribus alius nullo modo excusandus super additus esset excessus, ac eo ipso, tam ad relationem illorum, quàm ad enumerationem hujus posterioris ansa mihi præberetur

uberrima; Qui ille, inquit, P. C. en agite! paucis vobis ostendam. Nonne tale quoddam egregium illud fuit factum, quando nominatæ copię auxiliares aut potius ejusdem præfecti & insolentiora capita, eò dementiæ & audaciæ prolapsi sunt, ut non sint veriti antea aliquoties nominatum Nobilissimum D. Jacobum à *Grünthal* Serenissimi Electoris Nostri Consiliarium Bellicum, & generalem Commissarium ac ad ipsos Lusatia Proceres & status singulos Budissinam versus missum subdelegatum, contra omnia omnium gentium etiam Jura, omni, quo pro autoritate cinctus erat, comitatu destitutū, omni, quo pro necessitate in structus erat, armorum genere deprædatum, omnibus deniq; aliis ad expeditionem gravissimæ simul & amplissimæ hujuscemodi Commissionis necessariis adminiculis spoliatum capere, captum aresto constringere & pessimis aliis eundem tractare modis non erubuerunt, nefas omnino duxerunt nullum.

Nec hoc solū grande nefas, & morte piandum commiserunt scelus: verū eundem etiam Nobilissimum *Grünthalium* miris modis vexatum, divexatumq; à Budissina ad *Sitaviensem*, quasi spectaculum & ludibrium publicum miserunt civitatem, & dehinc Pragam versus missum præsentissimo exposuerunt famosissimæ cujusvis mortis generi & periculo. O scelus plusquam scelestissimum: o factum projectæ audaciæ plenissimum! o præfectos hostium militares vel prorsus illegales & non politicos, vel malitiosos hac in parte politicarum Sanctionum atq; legum contemptores, & transgressores pessimos! Nonne quippe apud Juridico-politicos legerunt, Legatum admissum Jure gentium Sanctum habendum esse, atq; inviolabilem? Nonne ibidem hanc saluberrimam invenerunt informationem, hujusmodi Legato non simplicem aliquem, non

non magnum tantum, sed illi, à quo missus est, convenientem exhibendum esse honorem? Nonne inibi locorum gravem illam simul & dubiam deprehenderunt quæstionem? Nunquid Legatum adversus Principem, vel Rempublicam, ad quam missus est, delinquentem: Jure gentium capere atq; punire liceat? Nonne ex Jure norunt, Jus huic ac Privilegium revocandi domum concessum esse? Nonne historia atq; exempla illos docuerunt, vim Legatis aliorum illatam, nunquam impunitam mansisse, contra verò semper majoris mali atq; damni materiam ac segetem extitisse! Exempla vultis P. C. considerate Tarentinos, qui olim non verbis tantum, sed & verberibus exceperunt Romanorum Legatos, miris illos modis illuserunt, irriserunt & ludibrio ac despiciatui habuerunt publico: Sed quonam, quæso, bono, seu potius malo ipsorum proprio! nullo certè alio, quàm sævissimi & truculentissimi Belli accensione & necessaria ejusdem susceptione. Sic Athenienses Lacedæmoniorum quidem, ad Artaxerxem Persarum Regem, pro impetrandis copiis auxiliaribus, missos Legatos, per insidias captos, nulla prorsus sententia condemnatoria præcedente, ipso facto truculentissimè atq; nefariè occiderunt, eo ipso autem nihil effecerunt aliud, quàm quod postmodum eò fortius & severius adversus iniquissimos & nefarios hosce Athenienses jerint: Lacedæmoniorum Artaxerxisq; Persarum Regis exercitus. Nec hoc solùm; sed quod & extremo Atheniensium periculo atq; damno prædicta in Legatorum personis commissa homicidia, vicissim extra omne Juris exercitium, ipso facto vindicarint. Nonne ergò hæc & similia exempla, quorum adhuc aliquot in promptu haberem, & si temporis pateretur ratio, recensere possem, sapius dictos exercitus hostilis præfectos ab illa Nobilissimo Domino Grünthalio illata vi absterrere? Nonne præ-

ne prædicta egregia & notatu dignissima politicorum monita atq; præcepta illos ad meliora trahere debuissent? debuissent utiq; Sed quî sic factum contrarium? quî sic omnium prædictorum monitorum & insimul suorum omnium dememores facti, tantumq; nefas committere ausi fuere? Davus ego hic non Oedipus esse cum cogor, tum lubens volo. Et quidni vellem? Cum solus Deus unicus ac verus cordium humanorum sit scrutator, & proinde ille etiam uniter & unice veram ac genuinam rei hujus causam indipisci valeat, cum ego, homo à bellicis expeditionibus alienissimus, actui huic non interfuerim, eaq; propter testimonium de illo perhibere certum nequeam. Fors sese jure ac Legibus, sive Consuetudine militari ab omni malitia exonerare laborabunt? exempla insuper etiam aliorum in medium producent; aut alias comminiscuntur occasiones dicam, an causas impulsivas, non sat scio: per me quidem hoc licet, verum an hujusmodi sufficient, excusationes, ut mihi videntur debiles, certò affirmare non licet.

Maximè, quia præter jam relatam illicitæ, omni Jure prohibitæ prorsusq; nefariæ subdelegati Electoris Cæsariani Commissarii capturæ crimen, etiam aliæ graviores, imò gravissimæ atq; atrocissimæ, contra ipsummet Electorem Nostrum tanta autoritate pollentem, tanta potentia insignem, tanta clementia gravem Cæsareæ Majestatis Commissarium tam verbales, quàm reales injuriæ cum factis, tum verbis debeatæ, fictæ & sæpissimè nominato Electori Nostro publicitùs illatæ fuerunt, & vicissim ad justam illarum omnium vindictam & severiora, nefandas illas libidines compescendi media, capeffenda commotus fuerit atq; allectus; quas injurias omnes hic recensere, nec operæ precium foret, nec si maximè vellem vel, credum, liceret, vel absq; criminis Læsæ Majestatis suspicione, opinor,

opinor fieri posset, Transeant ergo illæ, & easdem obiter saltem attrigisse, ac insimul inter majora irritamenta subsecutorum majorum malorum retulisse sufficiat.

Ne etiam plus æquo longior sim, Ecce! nil hic de actuali resistentia, nil itidem de armis ab ipsis in contrarium, ac in sui defensionem, ut illi falsò jactabant, licitam, sumtis, & quid sub eodem prætextu illi contra sapissimè dictum Serenissimum Nostri tentare, machinari, procurare atq; effectum reddere aucti sunt, dicam. Hisce autem tacitè præsuppositis, non immerito concludo, quod nil miri sit; si & Serenissimus Elector Noster, exercitui suo frena non nihil relaxarit, & sæverius per ipsa omni Jure concessa, ac ipsa necessitate efflagitantia Belli media atq; remedia, in ipsos animadverterit? Etsi enim ex generali politicorum sententia, & positione, bella quidem fugienda sunt: illa ipsa tamen politica positio, non ita intelligenda est, quasi pessima quæq;, ne bella suscipiamus, perpeti debeamus; quasi fugam, servitutem, nominis infamiam, aliq; ejusmodi ipso bello duriora mala, præ hoc eligere teneamur. Minimè. Nihil quippe aut faciendum est inhonestè, vel patiendum turpiter, ut pace nobis frui quocunq; modò liceat: neq; pax semper quovis bello anteponenda, ut contra Pindarum statuit Polybius. Brevibus itaq; tandem etiam alterum hoc Orationis hujus membrum specialius, in quo hætenus satis fusè opinor, satisq; diffusè, de mediis, remediis atq; adminiculis quibus in suscepta Commissione Casariana Serenissimus Elector Noster usus est, actum fuit, concludendo: Interventu exercitus hostilis Nullum hucusq; relatis justis rerum Casarearum repetitionibus locum invenientibus posthabitisq; ab eodem exercitu omnibus belli publici cum expressis, tum tacitis indictionibus: spretis deniq; omnibus, tam verbalibus quam

realibus

realibus, ad Pacem, ad Concordiam, ad Obedientiam, Deo & Cæsari debitam directis adhortationibus, è contra verò ipsis omnibus omnium insidiarum, violentiarum & injuriarum, tam verbalium; quàm realium modis contra Sereniss: Elector: Nostr: audacter satis, satisq; pervicaciter euntibus, & eidem sese undiq; vi armata, opponentibus animo plusquàm hostili resistentibus, ad arma, ad arma tantum ipsa conclamatum, atq; eò ipso ad extremum susceptæ Commissionis Cæsarianæ medium, actualemq; ejusdem executionem descensum atq; deventum est: Quando Budissina urbe, ab utroq; quod dicitur latere, quinimo undiq; & undiq; obsessa, ac jamdum alterutro suburbio occupato, milites Nostr: mediantibus consuetis instrumentis bellicis, muros & aggeres transcendere laborarunt, & obsessos per horas 36. igne & ferro adorti & persecuti sunt, ac nihil omninò quod saltem ad debellandum & expugnandum contumaces hujuscemodi necessarium & conducibile esse visum fuit, intermiserunt. Spectator si quis vestrum mecum fuisset, dubio procul, cum verò Musarum nostrarum Hercule & gratiarum Deo, Taubmannum sic nostri appellitant, altum exclamasset. Eho quàm!

Spargitur innumerum diverso missile voto

Nec vacat heic ullum teli genus: hic sude pugnet,

Hic pinu flagrante ciet, hic pondere pili:

Ille pilis quas flamma volans jacet ære cavato

Flamma salisq; nitriq; & sulphuris acta furore,

--- Contremuere poli: strident hastilibus aure:

Telorum effusus glomeratur in aëre nimbus:

Eripiturq; dies, ferroq; obtexitur æther,

Noxq; super campos telis conferta pependit.

Exhor-

Exhorrescitis? P. C. & tantum non ad solam horum omnium relationem tanquam valdè attoniti expallefcitis? ac proinde leniora quæpiam minioraq; facta mentibus percipere discupitis vestris? Agite! pro evitando tædio vestro, proq; aver-tundo alio malo, lubens ego illorum recensione super sedissem & è contra talia, qualia vos tacitè quasi à me exposcere mihi videmmi, vobis retulissem, & adhuc referrem: Modo mihi non referendi ansam, non occasionem præbuissent, & adhuc præberent, ipsimet Lusati Budissini, non tam sua, quam aliorum culpa, & malo quodam, adventitii Militis, Genio atq; Ingenio, extremè conrumacis sese exhibendo. Verùm sive per hæc sive per illa ad humillimam devotionem & subjectionem ac obedientiam Deo & Cæsari debitam deflecti potuissent; quinimo: Modo per humillimas, ac devotas preces, quas nos in hisce oris à nostris partibus hætenus, pro molliendis ac refrenandis refractariis illor: affectibus, & celeri optatoq; in bonam frugam reversione sive reditu, multivariè ac indefinente studio ad Deum Ter-Opt: Ter-Max: fudimus, totum hoc negotium in alium & quidem optatiorem leniorem, mitioremq; statum deduci valuisse.

Quia verò, præcedentibus negotii hujus circumstantiis omnibus testibus, sæpius nominati Lusati, & inter illos in primis Budissinenses, ob interuentum militis Bohemici AntiCæsariani, & hujus ejusdem malitiosam futuræ defensionis persuasione, nullis precibus in viam bonam reduci, nullis neq; privatis monitionibus clementissimis ac plusquam paternis, neq; denunciationibus publicis eò com: ac permoveri potuerunt, ut justis imò justissimis Regio-Cæsarianis-Saxonico Septemviralibus postulationibus locum ullum relinquere, de rebellionis deviis anfractibus in Regiam Obedientiæ Viam sese recipere

& è contra animos, officia, ac seruitia sua ad ea accommodare voluerint, ad quæ vigore mandati Divini Juramenti itidem præstiti, & debitæ fidelitatis obstricti reperiiebantur. Quid mirari si eosdem Belli illa fors tetigit, cujus sibi met ipsi fabri fuerunt infelicissimi? & quæ ego hæcenus quicquam aliud, circa secundam hanc Orationis hujus meæ partem specialiore, referre potui, quàm quod re ipsa ita gestum est, & à partibus Burdissinorum causatum, à partibus verò Serenissimi Electoris Nostri, optimo Jure ineffectum productum fuit.

Cæterum, non sum nescius, quod inter Politicos nostros nondum satis conveniat, nunquid tormentis hujusmodi bellicis, quorum paulò antè specialiorem feci mentionem, quorumq; usus nostro tempore tam in op: quàm propugnationibus munitorum locorum creberrimus est, in bello uti conveniat? Rationibus ab utraq; parte non contemnendis stantibus. Quia verò ob longævum eorum usum, & notissimam utriq; parti communionem alterutri Jure vix donegari posse videntur, utiq; in effectum prorsus frustranea censenda illa erit, de tormentorum bellicorum usu, instituta politica disquisitio. Hoc autem fundamento præsupposito, insimul illa cessabit quaestio, qua fortean vestrum aliquis sese macerare posset, an Serenissimus Elector Noster Jure hæcenus relatis mediis remediis atq; adminiculis contra Lusatos contumaces usus sit? In qua quid affirmativam impedire valeat, nullus video. Utinam iisdem impetiti, eadem debitis mediis atq; remediis impedire laborassent, & dubio procul, multa insimul cum pericula, tum damna impedivissent, avertissent, quorum jam nunc experimentum satis lugubre, difficile satis, satisq; memorabile non in oculis tantum, sed & manibus habent.

Unicum

Unicum ergò adhuc, circa hæctenus relata Media Remedia, atq; adminicula, quibus Serenissimus Elector Noster in suscepto hoc bello executivo potissimum usus est, addo, quod unico verbo præsentiam Seren: Illius Celsit: dici cum posse, tum debere statuo. Quamvis enim major pars politicorum, in eam descendat sententiam, quod tutius sit, Principem dubiis præliorum exemptum esse, ac semetipsum summæ rerum & Imperii servare debere, eò quod in milite unius fors, in Imperatore universum periculum positum censeatur. Et quæ in hanc faciem ab iisdem adducuntur plura alia. Maluit tamen Seren: Elector Noster Negotio huic præsens interesse, quàm ab eodem abesse longius: certissimè persuasum habens, quod si præsentem certare videant Ducem suum milites, vehementius & ipsi in prælia ruant secundum Virgilianum istud.

----- *Urget præsentia Turni.* -----

Incitamentum quippe magnum est animorum cum Dux adest, observatq; cujusq; fortitudinem & ignaviam; uti è contra, ubi summus Imperator non adest, citius quod non factum est, opus fit, quàm quod factum opus est. Ne ergo & impresenti bello tale quid committeretur, maluit Seren: Elector Noster, præsens adesse, quàm abesse longius. Atq; hæc sunt, quæ hac vice, de proposita Orationis meæ parte altera, Mediis videlicet, remediis atq; adminiculis, in medium afferre cum volui, tum debui: Quæ ulterius hac in re scitu necessaria sunt vobis in crastinum, subsequutura demonstrabit Oratio.

D I X I

O 3

207 no

ΣΥΝ Τῷ Ιωάν.

ORATIONIS PANEGYRICÆ PARS TERTIA.

Eventum ostendens, quem hæctenus relat-
tum bellum Executivum, cum à partibus
Seren: Electoris Nostri tum è partibus
primùm oppugnatorum Lusatorum, reli-
quorumq; Consortium, sortitum est.

NE quid nimis! inquit quâ verba, trita illa, sa-
tisq; brevis, ac cum vobis P. C. tum aliis nota, imò no-
tissima, quâ vim verò & effectum notabilis admodum
& in tantum celebrata paramia, ut etiam ab aliquibus inter Del-
phica Oracula relata fuerit: ut maximè negari non possit, quod
de verò ejusdem autore, non satis inter nostri ordinis homines
conveniat. Quibusdam eandem Bianti, Pythagoræ quibus-
dam, aliis Soloni, Pitaco aliis, aliis eandem Thaleti, aliis ean-
dem aliis adscribentibus. Nec de sunt qui primum ejus auto-
rem, cœcum illum, quoad res investigandas ac describendas
minimè cœcum Poëtam, Homerum quidem sic describunt,
faciunt. Ne quid de reliquis dicam. Ut ut autem hæc sese ha-
beant, & licet certus ejusdem autor ignoretur, hoc tamen de-
nuò seridò dico, atq; ediro, quod admodum notabilis illa sit, &
ab uno quovis in quibusvis actionibus optimè observari debe-
at, Maximè cum hujus ejusdem utilitatem sive commoda, ite-
rum brevi hoc, satis superq; demonstret Eulogio, Comicus.

Ad primè, inquiens, in vita utile est, nequid nimis.

Uti è contra incommoda ejusdem, seu potius contrarii
excessus, sive ipsius nimietatis vitia, brevissimis altera illa innuit
Brocardi-

Brocardica vigore cujus dicitur, Omne nimium vertitur in vitium. Plinio quippe teste, Perniciosissimum, & quidem in omni vita est, quod nimium. Id quod Poëtarum Princeps Plautus notabili hac expressit sententia.

Modus omnibus

In rebus optimas est habitus, nimia omnia,

Nimium exhibent ex sese negotium hominibus.

Et si verò præallegata paræmia à superius adductis auctoribus ut plurimum de immoderatis hominum, maximè Juvenerum, affectibus intelligatur, per quos omnium nimium peccari Autor est Aristoteles in Rhetoricis. Ac in hoc ipso sensu eadem etiam Henricus II. cognomento Claudus appellatus, Cæsarum Romano Germanicorum XIV. Symboli loco usus sit: Nihil, inquit, nimium, nec impensè quenquam cupere oportere, ita fieri posse, ut nullo unquam contristetur. Quin tamen illa ipsa multoties adducta paræmia, etiam ad sermones sive jamdum habitos, sive in futurum, aut in præsentiarum habendos referri, & in illis optimè notari, probeq; ponderari possit ac debeat, non video, quid impediat. Maximè cum præter ipsa generalia verba, unicam saltem nimietatis adnotatam inveniam exceptionem, mediante qua dicitur: Nihil rerum omnium esse, in quo non nimietate peccari possit, præter amorem Dei. Circa quam hoc obiter tantum, & quasi in transcurso moneo, quod Aristoteles tanquam homo Ethnicus, prædictum dictum ad sapientiam referat, tacitè insimul innuendo quasi in illa nimietate peccari nequeat. Verène an falsò? non est hujus loci excutere. Hoc ergò saltem hic addo, quod ego prædictis omnibus ita præsuppositis atq; stantibus, maximo metuam opere, fore, ut & mihi non ipsa saltem dicundi nimietas, sed & una cum eadem tam multi, quam soliloquii vitia objiciantur,

ciantur, exprobrentur. Attento, quod reliquis, hisce diebus omnibus sedentibus, ego solus surrexerim, & publice nonnulla, eaq; satis longe verba apud vos partim habuerim, partim denuo adhuc & impræsentiaram habere paratus sim.

Sed quaeso vos, quæ aliter facere vel potui, ac debui, vel etiamnum possum ac debeo? Cùm me non solum mox ab initio tot tamq; prægnantes & fortissimæ rationes ac causæ ad præsens hoc dicendi negotium publicum, traxerint, pertraxerint, coëgerint: Verum etiam ipsa propositi Thematis qualitas, & illi inhærentium partium specialiorum cùm gravitas, tùm connexitas, neq; celeriolem, neq; etiam quamvis aliam coarctatam rerum harum tractationem, expeditionem admiserint, aut adhuc admittant. Prout utrumq; horum præsuppositorum si temporis ferret angustia, pluribus rationum momentis atq; causarum circumstantiis fusiùs nonnihil evinci posset. Quemadmodum autem prioris illius præsuppositi fundamenta, causas nempe quibus ego motus, publicam hanc dicendi provinciam susceperim, speciatim hac vicè hic repetere, nec temporis nec propositi mei pateretur ratio, nec etiamsi vellem opus foret:

Considerato quod vosmet ipsi illas, dubio procul, è superius adducto exordio generaliori in recenti adhuc & firma tenetis memoria. Ita vicissim & posterioris hujus præsuppositi circumstantias, Thematis videlicet qualitatem & illi inhærentem negocii hujus cùm gravitatem, tùm connexitatem, & rationes propter quas illud alia methodo tractari non potuerit, aut etiam non possit omnes, hic uno quasi impetu adferre, nec operæ pretium esset, nec vestræ paterentur occupationes, ac quibus vos paululum furtim quasi subtraxistis negotia publica. Est posterioribus ergò Unam atq; alteram hac vice adduxisse sufficiet.

sufficiet. Et quid ni sufficeret? cùm fortè unica illa, aut etiam altera plurimum instar esse valeant.

Quæ autem illa tandem inquitis? Agite? brevi eandem audietis. In priore Orationis hujus meæ Panegyricæ parte, eò laboravi, quo vobis ad oculum usq; demonstrarem, Serenissimum Electorem Nostrium bellum, de quo ego hæctenus egi, executivum, non motu proprio, aut lucelli sui privati gratia suscepisse, sed ad susceptionem ejusdem plurimis de causis motum, commotum & qua tantenus vi Juramenti coactum esse. Inprimis verò eundem omnia ea quæcunq; egit ac peregit, non proprio, sed Regio Cæsariano nomine tanquam plenipotente mandato instructum & confirmatum Legatum sive Commissarium egisse ac peregisse. Nec quisquam credim, vestrum est, qui de hoc amplius vel re ipsa dubitet, vel dubitandi saltem ansam habeat, quærat, inveniat. Quod si autem hæc ita, uti non aliter, sunt, utiq; optimo fundamento credim evincitur cùm ipsam necessitatem tum materiæ connexitatem, tum deniq; ipsam ordinis rationem, efflagitasse altera ejusdem hujus Orationis Panegyricæ parte specialiore aliquid, de constituti Legati sive Commissarii procedundi vel executionis modo in medium adduci. Attento quod in hujusmodi actibus publicis alienis omnium oculi ac animi magis in procedundi modum intenti esse soleant, quàm in expeditionibus actuum privatorum fieri consuevit. Id quod inter reliqua ideò fieri non inconvenienter statuitur: quod Legati, uti & Commissarii munus in hoc positum esse reputetur, omnia ad præscripta, Imperiumq; ejus qui mandavit, agere: Imperatoris verò summæ rei consulere, & liberum tenere Imperium, pro ut in: & de hac re loquitur Alex: ab Alex: lib. 6. genial. dier. cap. 3. Unde quidam colligere ad nituntur, negotio alicui dato, & quicquid omnino

P

faceret



faceret definito, nihil contra faciundū, licet videatur res prosperius eventura, atq; magis ex utilitate ejus, qui id negotium mandavit. Si enim spes falleret, culpa inobedientiæ & pœna indeprecabilis subeunda foret: Si res fortè melius vertisset, Diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen commissum videatur, quo benè consulta consilia, Religione mandati soluta, corrumpentur secundum Gell: Quo ergò cuius vestrum ad oculos usq; pateret, Serenissimum Electorem Nostrum etiam hac in parte cautè satis satisq; catè rem omnem egisse, ac impendiò suis defunctum, esse demandatis vicibus: de mediis omninò, remediis atq; adminiculis quibus ille in suscepto hoc bello executivo potissimum usus est, aliquid, & quidem specialiter quadam Orationis parte, dicendum fuit, cum hæc deniq; adhibita executio ipsa media remedia atq; adminicula eorum specialem quendam Commissionis actum constituent atq; contineant.

Cæterum, cum nec secundæ hujus partis explicatio plenior alicui totius hujus negotii cognitionem, exhibere, sufficientemve scientiam historicam præbere; verum in rei hujus tractatione adhuc aliquid desiderari potuisset. Considerato, quod in negotiis hujuscemodi politicis publicis non saltem quæstiones de bello, ejusdemq; causis, mediis itidem atq; remediis sive adminiculis, oriri ac hinc inde in utramvis partem discuti soleant: sed major earundem pars in ipsum belli eventum directæ sit atq; intenta. Idq; jure merito, cum experientia cotidiana satis superq; doceat, quod belli eventus non principaliter sive primariò è mediis, remediis atq; adminiculis cornu dependeat copia, nec excessu eorundem æstimandus veniat liberiore. Aliàs quippe semper major exercitus minorem, fortis minus fortem, armatus magis, minus ar-

nus armatum, audacior minus audacem sive timidum, superaturus esset. Cum tamen res ipsa sapius prorsus contrarium testetur, & certissimum sit, quod ipsa fortuna hac in parte admodum anceps & lubrica deprehendatur, ut Thucydides & nusquam minus, quam in bello eventus animi respondeat proposito, ut Livius loquuntur: Levissimus quippe sapissime casus ex victo victorem, & e contra ex victore victum exercitum reddit, inquit, Jovius de Bello Neapol:

Ne ergo a quoquam in hoc negotio amplius aliquid desiderari posset, Ne vos belli hujus Regio Caesariani-Saxonico-Septemviralis executivi, de quo ego fusius haecenus non nihil egi, eventus penitus lateret, & eundem aliunde tandem petere necessum haberetis: Ecce, mox ab initio & in ipsa Orationis hujus meae Panegyricae partitione, ejusdem quidem generalem mentionem injeci, specialem vero tractationem haecenus suscipere non potui; Impraesentiarum autem eandem vobis proponere constitui paucissimis relaturus, quemnam haecenus relatam bellum executivum, cum a partibus Seren: Elect: Nostri, tum a partibus primum oppugnatorum Lusatorum, reliquorumque Consortium, Eventum sortitum sit? Quod si vos, a vestris partibus etiam Tertiae huic Orationis hujus meae Panegyricae Parti, eam quam reliquis duabus ejusdem partibus prioribus jamdum ipso facto animorum attentionem, & benevolentiam, exhibuistis, exhibere parati eritis, idque vel nuti saltem mihi significaveritis: Et me ad dicendum alacriorem reddetis: & rem officii vestris dignam facietis. Ac quo eò faciatis citius, summa ego vos, qua possum quaque debeo animi devotione deveneror atque rogo.

Sed quonam, inquitis, successu, quonam voto, fatique, tramite, ac cursu? dexterone ac secundo omnia, an vero sinistro

etiam quæpiam, ac aduerso oscine à Seren: Electore Nostro suscepta, gesta, atq; peracta sunt? Nunquid quasi gallinæ filius albæ, fortunam hoc in negotio semper matrem, novercam habuit nunquam? an verò & ipse vetus illud veriberbium cuius nuper in exordio mentio facta fuit expertus est, Omnium rerum vicissitudo? & quod, secundum Homeri testimonium.

Nunc bis nunc illis contingat vincere.

Eò quod,

Communis Mars, inq; vicem perimat perimentem.

Ut idem tradit alibi. Mihi sanè de hoc ultimo & Strage Electorali Casariana nihil constat ergo nec quicquam de illa adserere valeo. Et qui assererem, cum contrarium quod videlicet nullã omninò Adversarius exercitus victoriam reportarit, sed manus ubiq; victas dare coactus fuerit ex sequentibus satis superq; pateat, Quei ergò tandem prima hæc, Serenissimi Nostri bellandi processit velitatio? Certe! satis prosperè ac feliciter. Etsi enim hostis tum militi tum Serenissimo Electori Nostro creare voluit pericula, labores, damna atq; mala, inanes tamen & frustranei fuere conatus omnes: divinitusq; donata ac parva Trophæa tantò efficiebantur acceptiora, jucundiora, celebriora, quanto primâ fronte videbatur incertiora. Attento, quod eò plus voluptatis hominibus bona adferre soleant, quo majore labore, & periculo (quod illi semper quasi individuus comes adhærere consuevit) comparantur, adeoq; fortibus viris, ut Xenophon ait, quasi obsonia sint labores. Id quod Alexander ille Magnus, optimè intellexit, eaq; propter nihil magis servile, quàm luxuriam, nihil magis Regium quàm laborem esse, dixit. Et Cyrus ille Xenophonteus, Ego inquit, arbitrator decere principem anteire subditis, non vita deside & laborum

laborum experte, sed eò quòd rebus provideat, laboresq; iu-
benter subeat, etenim ut multoties allegatus Lyricorum Prin-
ceps Flaccus monet.

Nil sinè magno

Vita dedit labore mortalibus

Ad summa nemo sinè labore pervenit.

Hinc Epicharmus, Labore omnia bona divinitus vendi;
& Theodotus, Labore laudem parari, atq; gloriam, docent.
Prædictis ergò omnibus ita præsuppositis atq; stantibus non abs-
re, nec absq; ratione denuo statuo atq; expressis verbis publici-
tus edico ac concludo, quod si maximè Serenissimo Electo-
ri Nostro in obtinendâ victoriâ sudandum fuit: per hos
iplos tamen exantlatos labores, divinitus donata atq; parata
Trophæa, multo acceptiora jucundiora multò, multoq; deniq;
celebriora reddita fuisse, & etiamnum adhuc hodiè talia existe-
re atq; reputari debere. Atq; hæc de iis, quæ à partibus Se-
renissimi Nostri Electoris, ejusdemq; exercitus acciderunt, &
qualem hoc Bellum, vel respectu harum circumstantiarum for-
tium sit eventum atq; exitum, dicta sufficiant.

Quod si verò etiam ea, quæ à partibus hostium, in ipso
extremo commissæ, Saxonica Electoralis Cæsariana executio-
nis actu, ipsi contigerunt, avidis, ut spero, haurietis auribus,
tunc demum, credum, nulli dubitabitis, mecum expressis ver-
bis fateri, certò certius mecum statuere, & plusquam memo-
rabilia & maximam partem incruenta illa fuisse trophæa, &
adhuc hodiè esse, quæ Seren: Noster Elector ab utriusq; Lusatiæ
Marchionatibus, Inferioris itidem & Superioris Silesiæ Duca-
tibus nec non regnorum ac Regionum illarum Proceribus, uti
& Civitatum celeberrimarum Primoribus, Glacensi pariter
Bohemiæ Regni Comitatu primario, ab omnibus deniq; præ-
dictorum

dictorum Territoriorum subditis, ineffabili benedictione divina, & nunquam intermoritura laude reportavit, ac de quibus impresentiarum verba, apud vos facere constitui, imò jam nunc maximam penè partem feci & eò ipso Orationis meæ telam paucis adhuc reliquis ad finem usq; perduxi.

Nonne enim præter comeatus & viarum publicarum interceptionem atq; occupationem armatam qua Serenissimus Noster Septemvir contumaces & pervicaces primo aggressu quasi domare, & sibi, Cæsareæq; Majestati subjugare incipiebat, in vulgus etiam notum est, quod multi Ruricoliarum, Immo & Nobilium in Lusatia extremum sui suorumq; interitum præ ipsissimis suis oculis videntes, & dubio procul, divino quasi æstro perciti, ad frugem bonam & antiquum quasi dominum redeundo, clientelæ sese ac devotioni Serenissimi Electoris Nostri humilimè flexisq; poplitibus submiserint, veniam implorarint, imploratam confestim, uti & ipsam protectionem ac defensionem, tam personarum quàm rerum impetrarint? Quos exemplo & facto simili amulata est vel docuit & adhortata est, civitas superioris Lusatia primaria, Camizensis, ejusdemq; Proceres, atq; subditi, nec non incolæ reliqui: hinc etiam non solum à Seren: Electore Nostro, nomine Invictissimi Cæsaris benignissimè in clientelam recepti sunt: Verùm etiam majoris cautelæ ac defensionis loco, certus ad illos missus fuit militum numerus, & ibidem ad hanc usq; horam sustentatus.

Idem fecit, ac reciprocè factum est, cum Abbatissa, Monasterii Phæboei sive Luciferi, quippe quæ & ipsa sese, una cum sibi subjectis hominibus, Serenissimo Electori Nostro devotissimè submitit, & clementissimè recepta est; ipsumq; Monasterium, contra futuras hostium insidias, milite defensivo instructum fuit. Non adeo longo temporis spacio post prædictarum commu-

Communitatum exemplum imitati sunt pagi Lusatiae Superioris plurimi: Et hi ipsi vicissim minime à Seren: Nost: Elect: repulsi, verum ab eodem, eadem, qua antecedentes personæ, ac loci omnes, clementiæ aura afflati, & potentissimo protectionis Electoralis clypeo circumcincti sunt. O utinam utinam, exemplo horum oblatam pacem cautius mercarier cives Budissini veluissent vel voluissent, dubio procul, in pristino adhuc flore atq; vigore staret civitas. Nec ita miserè exitium illud & naturale quasi totius Lusatiae propugnaculum, Budissinam puto, dirutum esset. Contrarium autem cum hi, hoc est contumaciam quando magis amârunt, quando magis quàm obedientiam exhibuerunt, quid miri si & nunc belli hujus finis sivè eventus statuatur atq; inveniatur duplex? Respectu nempe contumacium quorundam Lufatorum, & imprimis respectu Budissinæ urbis, admodum Tragicus funestus ac miserimus: respectu verò Seren: Electo: Nost: maximè Heroicus spectabilis ac celeberrimus.

Etenim illorum milite, è Bohemia ad ipsos misso, externo, indies copiâ, numero, atq; viribus deficiente, labefactato, ac paulatim prostrato: comeatu itidem eorundem, cum frumenti, tum pabuli publico penè consumto, & haut levi ejusdem penuria ac inopia incidente, ingravescente; nemine è contra, eò loci aliquem amplius comeatum importante, nemine victum potumq;, justo precio, venundante, eaq; propter militibus sese erga incolas multò durioribus, ac si hi illi essent, contra quos ad Belligerandum vocati erant, gerentibus; urbe deniq; ipsa, ejusdemq; muris, ædificiis atq; præsidiis reliquis, ab hac parte hinc inde ac undiq;, tam bellicis fulminibus ac machinalibus instrumentis prægrandissimis, quàm globis quibusdam, singulari & ineffabili arte in hanc rem compositis, igneis, & quævis obvia facta consumentibus, omni vi atq; impetu im-

petu impetitis, impressis, concussis ac repletis, atq; sic non incendio modo, sed & excidio simul universali, tam prædictæ urbi Budissinæ ejusdemq; incolis & subditis, quàm ipsi militi externo hostili, quasi prædicto, imò certissimo ac evidentissimo Exemplo atq; modò ostenso, ob oculos posito, ac ipso facto jamdum cepto atq; inchoato, eò tandem res omnis redacta est, ut primum in genere, omnes sæpius dictæ Budissinæ urbis incolæ & subditi, tanquàm verè consules pomeridiani, una cùm antea dicto externo & à Bohemia ad illos misso, pervicaci alias & injurioso atq; hostili fatis milite consiliis simul & facto valere desierint: Econtra occisionis, ut in proverbio est, alias sentiscere, & ipsa Samiorum mala metuere, ac proinde omnem prorsus animum abjicere ceperint: Maxime quia etiam Johannes Georgius Marchio Brandeburgensis patrio nostro Idioma te ac vulgato nomine Dynasta de Jägerndorff/ à territorio ipsius ut credo, hæreditario sic dictus, promissas suppetias procrastinando differret, militem pedestrem cùm suis præfectis in Budissina urbe solum relinqueret, ipse verò cùm suo equitatu, metu fortassis periculi, succumbentiæ ac deditiois futuræ, extra eandem vagaretur, nostro quidem militi negotium quandoq; faceretur & hostiliter eundem aggredieretur, ab eodem verò armata manu vicissim impetitus, continuò terga verteret, fugam arriperet, & omnem penè præliandi & publicitus congregiendi occasionem mentem, voluntatem atq; propositum aversaretur, atq; eò ipso vel causæ malitiam, vel extremam animi timiditatem & insimul ipsam resistendi desperationem atq; impotentiam satis sufficienterq; ostenderet, ut alios hostiles quidem, sed vanissimos & inutiles conatus taceam. Quippe, quos omnes si recensere vellem, dies me citius quàm lingua deficeret. Valeant ergo hæc, & alia hujusmodi similia. Ad Budissinos & militem

militem eorum externum redeundo, præter jam relata respecta
 hujus, accidit etiam & hoc, quod una die, ac una vice, 86. mili-
 tum è pedestri ordine & civium utriusq; sexus plurimi, ad no-
 strum militem fugerint, & Serenissimo Electori Nostro, suppli-
 ces facti fuerint; commissæ violentiæ, uti & reliquarum illata-
 rum tam verbalium, quàm realium injuriarum veniam, ac per-
 donationem petierint, quam etiam citissimè à clementissimo
 Electore Nostro consecuti sunt. Cæterùm hanc particularem
 quorundam militum, quorundamq; civium deditioem, altera
 die post, universalis, & omnimoda totius urbis Budissinæ, ejus-
 demq; Procerum, subditorum ac incolarum, uti & ipsius hosti-
 lis exercitus, insecuta fuit deditio; Non voluntaria quidem il-
 la, non facinorosa, sed coacta, sed necessaria, sed cum victoria,
 seu potius succumbentiæ & impossibilis ulterioris resistentiæ
 signo conjuncta. In qua, præ reliquis, insequentes optimè no-
 tandæ veniunt circumstantiæ: quod nempe Budissinæ urbis Pro-
 ceres eorumq; subditi, atq; incolæ jamdum antea ipsis, amba-
 bus, quod dicitur, ulnis, ultrò ac multoties, tam in scriptis, quàm
 verbotenus oblatam pacem, ac conditiones ejusdem usitatas, sa-
 lutares, & honorificas, jam nunc post tot, tamq; magna irrepa-
 rabilia accepta damna, flexis poplitibus, ac latissima ante-acto-
 rum deprecatione, humilimè, instantèr, instantius, atq; instan-
 tissimè, ut J. C. nostri loqui consueverunt, petere, quod in ipso
 humilimæ veniæ petitionis actu, civitatis suæ claves, tanquam
 verissimum amissæ causæ, imò amissi domini, ac proprietatis
 signum, ac testimonium luculentissimum, è manibus ac pote-
 state sua, in potestatem, ac manus Serenissimi Nostri Electoris
 tradere, ac eo ipso vitæ necisq; potestatem in semetipsos, uti &
 plenarium Jus, ac possessionem plenariam, actualiter in illum
 transferre coacti, econtra verò à suis partibus in incerto ac
 spemq;

Q

semq; metumq; inter, quid tandem propter extremam contractam contumaciam, & alia, tam verbalium, quam realium, uti & fractæ pacis, delicta longe gravissima, contra illos tentaturus esset Serenissimus Noster Elector, dubii atq; ancipites, & tantum non exanimis relictis fuerint, hæc hac vicè de Budissinis sufficiant.

Exercitum eorum hostilem, quod attinet, ejusdem illi fortunæ sortes subire, ac eundem, quem paulo superius dixi conditionis modum arripere, coactus fuit. Nec admodum carandum temporis apud eum bona erant verba, verum & illi singulari suo modo, jure ac stylo militari, veniam ac pardonationem simul & cum vita, liberrimum ac tutissimum petebat atq; expectabat abiturum. Quamvis autem Serenissimus Noster Elector vigore augustissimæ Commissionis Casarianæ, ac mediante eadem Deiq; beneficio jamdum partæ victoriæ, Jus vitæ ac necis in sæpius dictum haberet exercitum, sive militem hostilem: eaq; propter, ob antea, circa Budissinos ipsos, allegata & longè, quam apud Budissinenses graviora delicta, idem Serenissimus Elector Noster, stricto jure si procedere, ac plenitudine potestatis suæ si uti voluisset, adversus illum, vel corporali, aut capitali aliqua pœna, vel etiam pecuniaria aliqua multa, vel munerum indultione, vel deniq; missione ignominiosa procedere, atq; sic illatas injurias multis modis vindicare potuisset, Consequenter liberum ei fuisset, gravioribus illos pœnis coercere vel lenioribus quibusdam in illos animadvertere: Maluit tamen Serenissimus Elector Noster, certis, singularibus, ac gravissimis quibusdam de causis ita rem omnem in hac parte, ac quoad militem hunc externum hostilem, hac vicè moderari, ut universus hic hostilis exercitus, & omnes illi adjunctæ & addictæ personæ, exceptis & primoribus Capitaneis duobus, quos capitivi sub de-

sub delegati Nobilissimi Grünthalii loco, jure militari captivos retinere jussit, ac Dresdam versus duci curavit, exceptis, inquam, his duobus, reliqui omnes, absq; omni vitæ, Corporis & famæ periculo, aut læsione, liberi dimitterentur, signa tamen sive vexilla militaria, eidem Serenissimo Nostro, in signū succumbentiæ seu potius Victoriæ complicata traderent, armis subversis ordine succenturiato, è civitate Budissina pedetentim discederent, & per exercitus Nostri Ordines, è Regione ad invicem positos, nullo tympanorum pulsu, nullo fistularum sono, nullòve alio quopiam militari tripudio, aliò sese conferrent, antè discessum autem fide militari ac militari stylo sese obstringerent, quod intra trimestre spatium nulla adversus Sereniss: Electorem Nostrum, nulla adversus Cæsaream Majestatem & horum amborum fideles subditos arma capere, nullis vel hujus, vel illius hostibus, ac hostilibus copiis sese adjungere, sed pacificos ac demissos undiq; & ubiq; præstare sive exhibere, velent, atq; hoc ipso actu hinc inde consummato & notato bona pace dimitterentur. Nec jam relatum memorabile, & multis etiam in ipsis castris, non inter infimos sed majorum gentium milites, militantibus admirabile, stricti Juris Bellici moderamen, verbis saltem constituit serenissimus Elector Noster, verum illud ipsum etiam in omnibus suis, ut nostri loquuntur, clausulis, ipso facto adimplevit: ad implere idem illud, plusquam promptis animis, prædicto exercitui hostili addicta persona omnes, atq; singulæ ac de hinc, antea relata conditione prævia ocyus dimissæ sunt. Cui clementissimæ perdonationi ac dimissioni liberrimæ, etiam hoc singulare singularis ac nunquam inter morituræ clementiæ signum accessit, atq; specimen Electorale, quod præter omnem spem, expectationem aut obligationem antecedentem, prædicto exercitui hostili, antea nomi-

Qz

nata

nata signa sive vexilla militaria reddita, & insuper illi majoris quasi securitatis loco duæ cohortes militum nostrorum equestrium ad milliaria germanica bina usque adjunctæ fuerunt. His autem omnibus jam relato modo dimissis, ac abeuntibus confestim ipso actu Budissina urbs, à nostro occupata fuit milite, atque eo ipso Serenissimo Electori Nostro plenaria ejusdem acquisita, imò voluntariè concessa ac tradita possessio, quam dehinc actualis insecutus est Electoralis, ac tantum non publicus Triumphalis ingressus. Realis itidem Aulae Regiæ, uti & reliquarum domuum publicarum, occupatio, homagii novi à Proceribus Civitatis, & eorundem subditis exactio, ac prompta debitaque ejusdem ab horum partibus præstatio. Ut reliquos noviter arreptæ possessionis, atque dominii, ac vigore ejusdem tum temporis optimo Jure peractos, actus taceam, & quidni tacerem, cum illorum tantus cumulus existat, ut si omnes recensere hic vellem, dies me potius, credum, quam lingua deficeret? Illis omnibus itaque hac vice præteritis, & forte àn ad aliam perorandi occasionem, ac materiam reservatis: è contra finem tandem aliquem, illi relationi, illisque facti circumstantiis imponenda, quæ ad acta atque gesta in Budissina urbe, tam ad ejusdem Procerum, incolas & subditos, quam ad externum & hostilem exercitum propriè pertinere videntur, non abs re opinor, neque absque ratione denuò statuo, atque publicè affirmo, Belli hujus exitum sive eventum, quoad Budissinæ urbis, ejusdem Procerum, subditorum atque incolarum, uti & ipsius militis externi sive hostilis partes, admodum Tragicum, funestum admodum, & miserimum; quoad Serenissimum verò Electorem Nostrum maximè Heroicum, spectabilem maximè, atque celeberrimum fuisse, & etiamnum pro tali reputari posse, nullus dubitans, quin hætenus relatis omnibus, diligentius perpensis, atque ad invicem collatis,

latis, idem vos mecum adferturi sitis: Et præterea omnes alii boni, pii ac fideles, cum Cæsareæ Majestatis, tum Serenissimi Electoris Nostri, servitores & clientes hoc meo, quinimò hoc nostro communi, etiam suos adjecturi sint calculo calculos.

Quod si jam nunc impræsentiæ P. C. uti ipsemet Serenissimus Elector Noster, exercitum ac militem suum conscriptum, post expugnatam, & occupatam Budissinam urbem, in alium campum, versus illam nempe Civitatem, quæ de AMORE nomen habere videtur, eduxit, ita & ego orationis hujus meæ, atq; sic fandi copias in novum quasi campum educere & omnium materiæ ac circumstantiarum ubertim sese mihi inibi offerentium capita vobis referre vellem: Jupiter! quantus numerus hic describendus, quanta hic referenda esset copia, quantum deniq; temporis, ad producenda illa omnia, opus foret? Quia verò jamdum generalius nonnulli allegatæ circumstantiæ, ac materiæ illarum capita primaria, circa obsidionem & occupationem jam dicti oppidi Lubensis sese exferentia, & præ reliquis probè ponderanda venientia, si non in omnibus, maxumam tamen partem, utputa causæ identitate, indictionis itidem Belli publici modo, nec non ad deliberandum dato spatio, uti & interveniente ejusdem Civitatis incosarum contumacia, actuali deniq; militis præsidarii resistentia, & tandem reali ab hac parte ejusdem obsidione; ab illius verò partibus ipsa deditio, ac easdem ambas, subsecuta traditione, arrepta possessione & acquisito Domini Jure, uti & nonnullis aliis actibus, cum illis concurrunt, quæ cum Budissinæ urbis proceribus, incolis & subditis, nec non cum exercitu ejusdem hostili, acta, gesta, perfecta, consummata, & paulò ante fusiùs ac specificè relata sunt, non possum non, quinimò non debeo non ego, quantum in me est, à crambe illa bis cocta, & tædiosa hujuscemodi

unius atq; ejusdem materiæ repetitione, adstinere. Satius ac
 tutius esse ducens, ac mecummet reputans vos hac vicè ad præ-
 dictorum argumentorum ac circumstantiarum summa capita,
 remisisse saltem, quàm uno eodemq; quasi ordine, ac ab ovo,
 quod dicitur, ad mala usq; etiam hic Commissionis Saxonice
 Electoralis Cæsarianæ originem, causas, atq; media, modum
 deniq; ipsius executionis recensere velle. Quis enim vestrum
 nescit? multoties allegatâ Commissionem Saxonico-Septem-
 viralem-Cæsarianam, non ad unius alicujus Lusatiaë urbis no-
 men aut locum restrictam, sed potius in omnes, tam Inferioris,
 quàm Superioris Lusatiaë urbes, loca & angulos directam esse.
 Quis vestrum nescit? illam ipsam, de qua impræsentiarum ser-
 mo est, Civitatem Lubensem, in Lusatiaë Superiori districtu situa-
 tam, ac consequenter in multoties allegata Commissione Saxo-
 nica-Septemvirali-Cæsariana non minus ac reliquas ejusdem
 Marchionatus civitates comprehensam esse. Quis vestrum
 nescit? easdem ad illam, ejusdemq; incolas transmissas fuisse li-
 teras Electorales denunciatorias? Quis nescit? aut credere du-
 bitat? præter jam tactam denunciationem Belli generalem pu-
 blicam, etiam monitoriales quasdam, tam verbales quàm Rea-
 les in specie, ipsam ejusdem obsidionem præcessisse? Quis
 nescit? illam principio oblatas aureæ Pacis honestas conditio-
 nes, acceptare noluisse. Externum è contra, & inter illum
 etiam antè nominatum Budissinensem militem recepisse, variis
 modis contumaciam contraxisse, & non modio, ut ita loquar,
 sed toto horreo, in Cæsaream Majestatem & Serenissimum No-
 strum Electorem, deliquisse, consequenter Jure merito jussu il-
 lius ab hoc obsessam, igne & ferro impetitam, oppugnatam, &
 tandem certis conditionibus expugnatam, occupatam atq; sic
 in potestatem Cæsaris redactam esse. Quamvis autem nec
 hoc,

Hoc, sine omni cæde & sanguine Bellum nec sine magnis plurimisq; aliis damnis susceptū, gestum ac demū peractū sit: adhuc tamen statuere non vereor trophœa etiam respectu hujus Lubensis oppidi à Serenissimo Electore Nostro parata, & plusquam memorabili & maximam partem incruenta fuisse, ac etiamnum hodiè Jure merito talia dici posse: maxime quia hoc in passu à neutra belligerantium parte, tanta, tamq; gravia præcelsere ac data acceptave fuere damna, non tanta vi ad invicem, tantoq; hostili impetu pugnatum, non tot igne incensa atq; consumta sunt ædificia.

Quod si verò prædicta conclusio, sive argumentatio in illo passu procedit, atq; locum sibi vendicat, ubi non verbis saltem de futuro bello actum est. Sed ulterius etiam ad ipsum Belli actū ac factum processum & deventum fuit: ubi vi armata, partes utrinq; usæ sunt, ubi alia intervenerunt actualia Belli media, sive exercitia: quis quæso negatum ire ausit, ac inficias? multò meliori jure illam, eò in passu locū sibi vendicare, in quo ad ipsum extremum Belli factum, ejusdemq; realem executionem nunquam fuit descensum. Cumq; subsumendo in præsentis Commissionis Saxonicae-Septemviralis-Cæsariana negotio, ejusdemq; debita, atq; actuali expeditione, inter reliqua notatu ac memoriæ dignissima facinora etiam hæc in veniantur, Quod, nempe Serenissimus Noster Elector semper mitiori, ac clementiori usus sit via, & expediendi modo: atq; hinc non uno impetu, vel aggressu hostili uno, omnes utriusq; Marchionatus civitates, oppida, Castra, pagos, eorumq; subditos atq; incolas, simul adortus sit, sed hoc vel illo loco, hisce vel illis subditis sive incolis, subordinatè op: & expugnatis, ad vicinum demum locum transitum fecerit. Nec hoc solum: sed & illud, quod noviter obsidendum locum, sive personas, inibi regimis clavum tenentes,

tenentes, semper prius ante actualem invasionem, adhuc semel sui officii admonuerit, eosq; per literas, priores illas denunciatorias referentes, sive repetentes, vel per internuncios, ad Pacem, ad Concordiam, ad Obedientiam, Deo & Cæsari debitam, seriò adhortari curaverit, atq; hac ipsa, singulari sua, ac penè divina sapientia, atq; clementissimo simul & auspiciatissimo procedendi ac persuadendi modo, id effecerit, quod præter hæctenus relatas urbes, pagos, atq; communitates reliquas, sese etiam absq; omni renisu, & armorum vi sive strepitu, omnia Lusatia Inferioris, excepta civitate Gubensi, (quæ tamen & ipsa animo præmittissimo Serenissimi Electoris Saxonie admonitioni parère voluit, à milite autem Marchionis præsidario violentè impetita, & impedita fuit) oppida & pagi reliqui, unà cum aliis in Superiori Lusatia situatis locis, in debitam devotionem ac subjectionem Saxonico-Septemviralem-Cæsarianam submiserint.

Quis tam hebetis ingenii, quis tam stolidi Judicii foret? qui non vellet, qui non posset, qui non deberet, à fortiori inferre atq; indubitato adserere? Tropæa hæc à jam relatis locis atq; personis reportata vel hoc respectu & plusquam memorabilia & maximam partem, imò respectu horum revera, tota incruenta fuisse atq; etiamnum taliter insigniri posse, ac debere?

De Aristide & Cimone, celeberrimis Atheniensium Belliducibus, quorum etiam superius, in secunda thematis hujus parte, aliqua facta fuit mentio, historiae narrant, atq; testantur, quod post finita multivaria, inter Persas & Athenienses gesta bella, & novo aliquo inter hos & Lacedæmonios gliscente, hi ipsi Atheniensium Duumviri, sola sua suaviloqua humanitate, & humana suaviloquentia, multas Lacedæmoniorum Civitates eò commoverint, pellegerint, perduxerint, ut à Spartanis sive Lacedæ-

Lacedemoniensibus dominis prioribus, veris atq; ordinariis deficerent, & sese societati Atheniensium adungerent seu potius adjudarent. Idq; ideo tam diligentissimè ab Historicis adnotatū, & relatū fuisse autumo, quo Belli duces insequentes, quid suadiloqua hujusmodi humanitas, & humana illa suadiloquentia, etiam apud exteros, & sibi nondum subjectos homines, efficere possit, ac valeat, discerent, opportuno itidem tempore, ea uti, non erubescerent, non negligenter, & tandem aliquando, si quid in eo expediendi genere, præstitissent, una cum illis duobus, etiam illi immortalē nominis sui consequerentur famā, atq; gloriam. Quod si verò hoc Aristidis & Cimonis belli Ducum, qui tamen respectu originis, & familiæ, uti & reliquarum dignitatum, cum Serenissimo Elect: Nost: nullo modo comparari possunt, quod si, inquam, horum factum, tantam illis nominis peperit immortalitatem, & laudē conciliavit æviternam, quod si idem illorum factum, tanti semper æstimatum fuit, atq; etiamnum æstimandum est, ut etiam in æmulationis exemplum propositum fuerit, cum tamen, cuius rem altius perpendenti, obvium sit, atq; planum, quod jam relatū Aristidis & Cimonis factum, vitia alat, ac delicta secum trahat plurima; quis quæso, interim tam ancipitis Judicii esse velit, ut dubitare ausit? multò majoris momenti atq; autoritatis, multò itidem majoris laudis & encomii dignam rem sive factum esse, hoc quod paulò antè retuli, Seren: Electoris Nostri factum? Idq; vel ideò, quod hic, non alienæ potestati, subjectas civitates, ut illi, ad se allicere, non ad defectionem aliquam illos, non ad perjuram, contra Dominum priorem, directam societatem, sive foedera illas, ut itidem illi fecerunt, trahere laboravit: sed illorum saltem si non majori, consimili tamen, humana suadiloquentia, & suadiloqua humanitate, illas eò pertraxit, ut à defectione;

R

fectione;

fectione, ad quam per alios malitiosè persuasæ essent, ad pristinam subjectionem, à perjurâ, cum aliis contra Cæsaream Majestatem inita, societate & fœderibus impiis, ad conjunctionem, cum hac pristinam, & debitam animi, & bonorum demissionem revocata, reducta, ac restituta fuerint.

His itaq; omnibus ita præsuppositis atq; stantibus, non possum non ego hîc alta voce exclamare! O divinam omnino Serenissimi Electoris Nostri suadiloquentiam? O insignem ejusdem erga prænominatos Lusatos exhibitam humanitatem! O imperscrutabilem prædictarum virtutum Heroicarum vim & efficaciam! O verè plusquam memorabilia! O verissimè maximam partem Serenissimi Nostri incruenta Trophæa!

Eò res etiam cum utriusq; Silesiæ Ducatibus, eò cum Glacensi comitatu? Eò cum Görlicensi, Sittaviensi & Laubensi Civitatibus primariis eorundemq; territoriorum incolis atq; subditis res recidit. Etenim sive Seren: Nostri Electoris susceptæ Commissionis Cæsarianæ tenorem quis, sive quis literas ejusdem, ad illos missas denunciatorias, sive deniq; quis vigore harum reliquos subsequutos actus, tractatus, ac transactiones, Dei Omnipotentis nutu atq; benedictione divina, felicissimè initas, inspiciat, perpendat, trutinat; undiq; deprehendet, hætenus allegata argumenta, ac facti circumstantias penè easdem occurrere, omnes penè his posterius nominatis personis accommodari sive applicari posse, omnes deniq; circa eosdem Seren: Electoris Nostri partibus quàm strenuè denuò militare. Nonne quippe prædictus Electoralis Commissionis tenor, in omnes illos, quos jam retuli districtus, civitates, Proceres atq; subditos nihilo secius ac in priores illos directus est? Nonne hi omnes, non præcocitè sive hostiliter impetiti, sed luculenter prius & plusquam paternè ad Concordiam, ad Pacem, ad Obedientiam Deo
& Cæsari

& Cafari debitam, & alios similes actus, in luculentissimis illis, omnibusq; numeris absolutis literis Electoralibus denunciatoriis admoniti sunt? Nonne persuadiloquam Electoris Nostri humanitatem, & humanam ejusdem suadiloquentiam omnes eò commoti fuerunt, ut, vel percepta ac audita saltem hac, ut vel acceptis ac lectis saltem illis, illi vicissim non adventantem demum eminus praestolati sint, non paulatim adpropinquantem cominus demum ad illos properare invitarint, non introeuntem demum lubentissimis exceperint animis: sed missum etiam cum istis ad illos internuncium, tanta exceperint animi laetitia atq; tripudio, tanta illas reverentia atq; animorum demissione acceperint, resignarint, legerint, tantum deniq; illi exhibuerint honorem, ut vel hisce actibus externis, ac quasi praambulatoriis sufficientissimè ostenderint, & cuivis planum fecerint, longè alios illos, ac Budissinos atq; Lubenses principio, animatos! longè alios sese Commissioni Saxonicae-Septemvirali-Casarianaè satis facturos modo! Hinc etiam tantum abfuit, ut praedictum internuncium Electoralem, exemplo Budissinensium, illicitæ capturae timore, nedum facto praegravare, multò minus eundem captum ac illudum retinere, vel etiam pro spectaculo huc illuc transmittere voluerint: ut etiam eundem honestissimè exceptum, tractatum honestissimè, honestissimè dimiserint. Nec hoc solum: sed illi ipsi singulari quapiam reverentia, & devotissima animorum subjectione, literas, quas vocant, responsales, atq; declaratorias, aureæ Pacis ac submissa demissionis verbis atq; conditionibus, referatissimas ocyùs ad Seren. Electorem Nostrum, a quo ille missus erat, deferendas tradiderint. Commodum, me Hercules, ac bonum malæ causæ in bonam ac Reipubl: commodum mutandi vertendiq; medium, sive principium! Quod ipsum paulò post insecutum fuit

R 2

melius

melius ac commodius, modò relata[m] versionem ac mutatio-
 nem perficiendi intermedium, & tractu[m] temporis optimum
 atq; commodissimum ejusdem exodium. Quodnam hoc?
 quodnam illud? inquitis. Agite! P. C! quantum mihi homini
 privato, quantum mihi homini à rebus hisce non nihil alieno
 ex evidentia saltem facti, & notoria experientia uti & ex fide
 dignissimis non nullorum relationibus, mihi constat, brevibus
 vobis, bona tamen fide, omnia referam, eaq; n[on] fallor, inse-
 quenti modo ac ordine omnia gesta sunt, atq; perfecta. Princi-
 pio nempè, paulò antè dicti Silesiæ Principes, ac ordines reli-
 qui, una cum reliquis paulò antè nominatis illorum Consorti-
 bus, lectis ac perlectis denuò Electoralibus literis denunciato-
 riis, rem hanc admodum gravem, arduam admodum, ac admo-
 dum difficile[m], altius secummet ponderare ceperunt. Cumq;
 ipsis notum esset, gladiatorum, non Principum esse, in arena
 ipsa ex tempore consilium capere, magna è contra, Seneca teste,
 temporum momenta, & multum interesse, idem illud post,
 an antea consulatur. Quinimò, Cornelio Tacito autore, con-
 silium ante rem. Non immeritò & illi, divino numine arden-
 tissimè invocato, publicitus ac in pleno omnium Principum, &
 reliquorum magnatum, uti & civitatum & Procerum confessu,
 multum diuq;, quid factu opus? quid factu facilius? quid factu
 omninò necessarium foret? deliberarunt ac tandem prævia or-
 dinaria hac atq; publica deliberatione in eam omnes unanimi
 con: & assensu j[er]unt sententiam: ut ex omnibus Ducatum ill-
 lorum, & reliquorum ordinibus, certi quidam, summæ ac præ-
 pollentis autoritatis viri, iiq; tales deligerentur, quorum sa-
 luberrima Consilia, fides, & dexteritas in hujuscemodi gra-
 vissimarum rerum expeditione, jamdum esset explorata: illiq;
 postmodum, tanquàm legitimi Ducatum, ordinum, ac civi-
 tatum

tatum illarum omnium constituti Legati, certa Legationis præscripta forma, ultra quàm nemini Legatorum, nisi illi plenipotentia simul (quæ tamen secundum Politicorum doctrinam rara esse debet, experientia autem communi teste, rariùs, imò rarissimè dari consuevit) instructus foret, quicquam agere licitum est, aut concessum, ad Serenissimum Electorem Nostrum mitterentur, & mediantibus illis, res omnis, atq; totum hoc negotium, etiam apud ipsum Serenissimum Electorem Nostrum, de nuò discuteretur, undiq; ac ubiq; media atq; remedia hujus mali, ejusdemq; , ut ita dicam, curæ, seu compositionis, quærerentur, conquirentur saluberrima, conquisita reciprocè proponerentur, proposita audirentur, audita mutuò conferrentur, collata probè perpenderentur, perpensa tandem, in unum certum quasi corpus, sive caput, redigerentur, conscriberentur & super eodem saluberrimi, & Pacifici susciperentur tractatus. Hac tamen expressim addita reservatione, sive restrictione, atq; clausula salutari, ut, si quid altioris adhuc indaginis, & majori approbatione vel cautela opus indigens, inveniretur, illud ipsam, eum ipsis Dominis à quibus, denuò communicaretur, & eorū etiam in illo Consilium, autoritas, atq; consensus expeteretur. Ut taceam reliqua, quæ fortasse in hujusmodi Legationis passu, munere & expeditione occurrere vel possunt vel solent, requisita, non minus interim ac prædicta, ad amissimam observanda, & probè expediunda. Catum, me hercules! cautumq; rei cautæ expediundi medium! commodum, me hercules! optimumq; causæ hujus Silesiæ-Cæsarianæ intermediū! quinimò tale, quod non potuit non optimum & felicissimum insequi exodium!

Nec enim hoc Ducum ac statuum Silesiorum ac Consortium reliquorum decretum, sive hac in re delideratò concepta sententia, ac laudatissimum animorum propositum, nuda fuere

verba; non nudum voluntate, non nudum facultate carens,
 Consilium, sed illud ipsum confestim, ac in ipso consilii hujus
 actu, alia insecuta fuere facta, quando ultra prædictum decretum
 etiam personarum ablegandarum certus habitus fuit delectus,
 quando de Legationis simul tempore, modo, loco ad quem, ac
 forma sive instructione necessaria, communia collecta fuere
 vota. Hisq; omnibus in unum collectis, ipsis tandem ablegandis
 personis sive futuris Legatis, universa totius negotii hujus car-
 do, ejusdemq; decreta susceptio, atq; expeditio, debito & con-
 sucto more, denunciata fuit, quando deniq; illi insimul omnes,
 ut pro salute Patriæ, pro aureaq; acquirenda Pace, pro averten-
 dis e contra omnibus communi illorum Patriæ imminentibus
 periculis, negotium hoc, ac Legationis hujus Provinciam, in se-
 se suscipere non vererentur, non gravarentur, non denegarent
 sedulo ac diligentissimè admoniti & respectivè petendo sollici-
 tati fuere. Qui illi? Audite P. C. nomina Legatorum Silesiæ:
 Carolus Fridericus Dux Münsterbergensis, Legationis hujus ca-
 put & antesignanus, cui adjuncti fuere adhuc quinq; Nobiles &
 eximii viri, Adamus à Stange & Stonodorff / in Runitz / Ten-
 tzel & Gartenstein Illust: Lignicensis Principis Consiliarius,
 ejusdemq; Principatus Præfectus Provincialis: Sigismundus à
 Bock & Buttmandorff Territorii Reichenbachensis Præses
 Curia hæreditarius nec non Schveidnicensis ac Gauerensis
 principatum Senior Provincialis, Reinhardus Rose J. U. D.
 atq; Reip: Utratislaviensis Syndicus primarius, Johannes Wretch
 celeberrimæ Schveinizensis Reip: Senator, & Johannes Rich-
 ter Reip: Glogoviensis amplissimæ Consul, quos omnes hono-
 ris causa hic nominare volui: & in perpetuam rer: gestar: me-
 moriam, nominatim exprimere debui. Quid autem Electi hi,
 atq; ad hanc rem deputati Legati? nunquid suprema rerum in
 Patria

Patria gubernacula sua, & vigore illorum Atlanticos exantlandos labores prætere? Nunquid suavissima matrimonia, nunquid dulcissimum rei domesticæ amorem, nunquid gravissimam ejusdem curam, excusationis loco allegavere? Nunquid rei gravitatem, nunquid difficultatem itineris, nunquid deniq; temporis jacturam ipsis obstaculo, & impedimento esse finxere? Nunquid alias excusationum, atq; exonerationum materias, comminisci tentavere? Minimè gentium! verùm Tulliani illius memores: Neq; enim, inquit, quispiam est tam ingratus, tam impius, tamq; nullius humanitatis, qui, si Patriæ merita sumere velit, non eam magis, quam se ipsum amet, quippe quæ communes omnium charitates complexa est, ut non possit cognatio ulla propior esse, quam ipsius Patriæ, qua nihil dulcius, amabilius nihil, nihil charius esse debet, pro qua mori, & cui nos totos dare & in qua omnia nostra bona ponere, ac quasi consecrari debemus. Memores itidem alterius ejusdem Tullii ad Atticum dicitur: Præclarum, inquit, pro Patria mori, aut, ut Lyrici verba sonant:

Dulce & decorum esse pro patria mori.

Memores deniq; quod, ut omnibus bonis expedat salvam esse Rempublicam, quæ portus & asylum civibus universis, teste Sophocle: ita profectò.

Nihil esset suavius, quam bene rem gerere bono publico,

Ut Plautus loquitur in Captivis. Horum omnium, inquam, memores Silesii hi Legati & Consortes illorum reliqui, nullo omnino renisu, nullisq; periculis perterriti, oblatum Legationis munus ultro in se receperunt, sese idem, Dei omnipotentis divino auxilio, pro virili obituros declararunt, ac promiserunt. Quinimò sarcinulas suas, ut tritum sermone habet proverbium, paulatim colligere, indies ocreati instare, & viam atq; abitum cotidie

cotidiè parare visi sunt. Donec tandem ipsemet illorum abeundi accessit dies, eoq; præterlapso, ad iter illi sese accinxerunt, ac emensis demum, viæ suæ spatiis, quàm celeri cursu, & felici tramite, optimis undiq; quasi ducti avibus, magno omnium piorum tripudio Dresdæ appulerunt, & inibi à Serenissimo Electore Nostro, quàm clementissimè admissi, quàm magnificentissimè excepti, & pars illorum, Silesii nempè omnes, in ipsam sedem atq; aulam Electoralem, tanquàm futurum hospitium introducti; pars, Lusati videlicet, alia conveniētissima hospitia occuparunt: Quod si hic P. C. orationis hujus meæ vela, quasi pandere, & illa in apertum, quod dicitur, dicendi mare, transmittere, paulò liberius evagari, & consequenter vel de comitatu horum Legatorum, vel de apparatu Serenissimi Electoris Nostri, vel etiã de hospitali, ut ita loquar, tractatione, verba nonnulla facere vellem: Jupiter! quanta hinc sese mihi latissima, lautissima lætissimaq; undiq; offerret dicendi copia! quantus sese mihi aperiret fandi campus! Quia verò interim facilius fieri posset, ut hæc omnia fusius sectando, si non in totum, paulatim tamen extra limites Orationis hujus seducerer, aut ad minimum, nimia prolixitate, stomachum vobis moverem, auscultandiq; quasi quoddam concitarem tedium: Ecce! pro evitatione horum omnium, silentio potius illas involuere res, quàm vobis taliter molestus fieri, volui. Ad ipsum ergò scopum & causam propter quam Legati hi Silesii, una cum reliquis, qui eos paulò post, & Lusatia, & comitatu Glacensi, presso veluti pede seu tramite recto insecuti & omnes in simul ad Serenissimum Electorem Nostrum missi sunt, & expeditionem eorundem ipsam, brevibus digrediundo: Hi ipsi prædicto modo, quàm clementissimè admissi, quàm magnificentissimè excepti Legati, non curticulam curare, non genio atq; ingenio suo indulgere, nec procrasti-

Procrastinando negotium hoc de die in diem differre ceperunt,
 voluerunt: verum, oblatis statim post ingressum, stylo consue-
 to, literis Credentiæ sive Fidei, & commodiori paululum rerum
 suarum dispositione oblata, de clementissima personali audien-
 tia admodum fuere solliciti, & illam ipsam modis omnibus pro-
 curare, humiliter petere, & instanter expetere, non destiterunt.
 Quinimò ea certa die clementissimè concessa, locoq; ac tem-
 pore certo, ad actualement hujus negotii expeditionem illis desig-
 nato, hi ipsi, citra omnem moram sese ad nutum & ordinationem
 Electoralem accommodarunt, ac prævia debita reverentia, &
 animorum per externos etiam actus abundanter ostensa demis-
 sione, demum grandiloqua ac diffusa aliqua oratione, Legatio-
 nis suæ causas ejusdemq; summa capita Seren: Electori Nostro
 devotè exposuerunt, eaq; ad finem perducta & responsione Ele-
 ctorali in alium rejecta diem, Illi ipsi Legati Silesii, uti & suo
 tempore reliqui, quàm clementissimè in sua dimissi sunt Palatia
 atq; hospitia, de hinc præviis atq; intermediis ardentissimis pre-
 cibus, res omnis, & totum hoc negotium, ab utraque respectivè
 parte, de novo discuti, in maturas deliberationes trahi, in utrâ-
 vis partem ponderari, cepit. Ceperunt & insimul, respectivè ab
 utraque parte, saluberrima pacis media quæri, conquiri, conqui-
 sita reciprocè, sive vicario, ut ita dicam, opere proponi, partim
 scriptis comprehendendi, partim ore tenus in medium proferri.
 Ceperunt in super tractatus quidam super dubiis & gravioribus
 nonnullis quæstionibus iniri, celebrari. Nec prius receptui ca-
 nere partes voluerunt, quàm omnes hæctenus inter D. FERDI-
 NANDUM II. jam nunc Invictissimum Romani Imperii Indu-
 peratorem; quatenus Regem Bohemiæ & prædicti Imperii Ro-
 mani Electorem VII. ab una, & illos ipsos Silesios, Lusatos itidè
 reliquos & comitatum Glacensem, ab altera parte, ortæ dissen-
 siones,

fiones, & reliqua belli hujus seminaria calcaria & incitabula, certis conditionibus, declarationibus, promissionibus reciprocis, & similibus actibus utro citroq; obligatoris circumscripta, frenata, extincta & penitus extirpata forent. Id quod etiam tandem singulari Dei Omnipotentis beneficio atq; auxilio divino, luculentissimè ipso die Concordiæ, qui erat 18. Feb: & fatalis hac in parte merito reputatur, consecuti sunt. Quando inter Serenissimum Electorem Nostrum, tanquam plenipotentem Cæsareæ Majestatis delegatum Commissarium, ab una: & ipsos Silesiæ, uti & comitatus Glacensis, Görlicensis itidem nec non Sittaviensis & Laubensis Lusatiae Superioris, Civitatum primariū præsentis Legatos, ab altera parte: talia, tamq; certissima, firmissimaq; quæpiā pacta, trāsactiones, sive ut hodierno Politico idiomate loqui consuevit, accorda celebrata, conscripta, consignata, confirmata & undiq; ratificata fuerūt, ut neutra pars vel debita, ac humilima subjectione, vel de reciproca debita, ac clementissima protectione, ullam dubitandi ansam amplius habere possit ac debeat.

Hinc etiam non abs re, non ita pridem, per universa Serenissimo Electori Nostrò subjecta territoria, & in omnibus ejusdem civitatum ac Pagorum Templis, Deo Trinuni Ter-Optimo Ter-Max: Pacis auctori, datori, ac conservatori uniter unico, quàm devotissimæ atq; ardentissimæ, pro felicissimo hujus Legationis, uti & totius Commissionis Saxonicae-Electorale-Cæsarianæ, exordio, dictæ fuere gratiæ, sisq; omnibus finitis, ac toties nominatis Legatis Silesiis, Lusatibus & Glacensibus, secundum Legationum suarum formam, ex voto & singulari fato divino, ad felicissimū & optatissimum finem perductis, illi ipsi clementissimam à Serenissimo Electore Nostrò dimissionem, devotè petierunt, petitam impetrarunt, & magno cum tripudio ad Dominos à quibus & reliquos suos remissi sunt.

Cæterum

Cæterum hoc ipsum de quo impræsentiarum verba facere cepi, quinimo de quo hucusq; sufficientissima verba feci, thema, tandem aliquando debite concludendo, iterato atq; iterato, semel pro semper, ac finaliter tandē dico, concludo, hanc Serenissimi Nostri Electoris, modò relato modo, absq; omni armorū vi atq; impetu, ab utriusq; Silesiæ Ducatibus, Glacensi itidem comitatu, nec non Sittaviensi, Görlicensi & Laubensi Civitatibus, totisq; illis tractibus, reportatam Victoriā, & plusquā memorabilē, & maximam partem, quinimo abs cæde Budissina, Lubensi, & aliorum non nullorum castrorum armata impetitione si esset, totam omnino incruentam fuisse, atq; etiamnum jure merito talem insigniri posse. Nec hoc solum finaliter & definitivè dico, sed & pro consequentia quasi quadam infallibili addo, & coronidis loco palam atq; indubitato pronuncio, hanc ipsam Serenissimi Electoris Nostri, à tot tamq; præsentibus Provinciis, eorumq; Toparchis atq; subditis, ineffabili benedictione atq; singulari auxilio divino, reportatam Victoriā omnes alias antihac ab Ethnicis, aliisq; antiquis bellorum Ducibus, ut cunq; præclarissimis facinoribus, partas victorias, longis anteire parafangis; ac proinde eidem Serenissimo Electori Nostro gratitudinis ac recompensæ quasi loco hætenus longè digniores, præcellentiores longè, longè splendidiores, quā antihac ullo tempore instituti ac celebrati fuerunt Triumphi, Triumphos parari debuisse, aut etiamnum adhuc hodiè parari debere.

Nec desunt mihi hac in parte causæ atq; rationes fortissimæ. Etenim ad quamcunq; Orationis hujus meæ partem, oculos atq; animum meum retroverto, undiq; & ubiq; magnā hujus & illarum reperito discrepantiam, undiq; & ubiq; sufficientem, quinimo non sufficientem saltem sed longè uberrimam

triumphandi invenio materiam. Causas Belli vultis? eadem audistis, & numero plurimas, & pondere gravissimas, & materia justissimas fuisse: Cum è contra, Historicis si habenda fides, antiquioribus illis belli Ducibus, ut plurimum illa longè abfuerint, aut certè illi si aliquas aliquando, multò tamen leviores hisce habuerint causas causas.

Media vultis ac remedia, sivè adminicula hujus Belli? agite! eadem æquissima, clementissima fuisse, jamdum antea percepistis! cum è contra historia testentur, quod antiquorum illorum Belli, ducum, bellandi modi atq; media, rapinæ potius, vel savitiæ, atq; extremæ Tyrannidis species fuerint. Finem deniq; sivè exitum, aut eventum hujus Belli vultis? agite, & hunc duplicem quidem principio, & quoad minimam aliquam ejus partem periculosum ac cruentum, quoad maximam verò partem incruentum prorsus, & memorabilem fuisse, paulò superius ostendi: cum è contra ex historicorum constet inventa, & aquæ atq; campi multo semper humano repleti fuerint sanguine. His itaq; omnibus sic stantibus ac præsuppositis, denuò coronidis loco & hoc pronuncio, hanc ipsam Seren: Electoris Nostri, à tot tamq; potentibus Provinciis, eorumq; Toparchis atq; subditis, ineffabili benedictione, atq; singulari auxilio divino, reportatam Victoriam, omnes alias antihac ab Ethnicis, aliisq; antiquis bellorum Ducibus, ut cunq; præclarissimis facinoribus partas Victorias, longis antè ire parasangis: ac proinde eidem Serenissimo Electori Nostro gratitudinis ac quasi recompensæ loco hæctenus longè digniores, præcellentiores longè, longè splendidiores, quàm antihac ullo tempore unquam instituti ac celebrati fuerunt Triumpho, Triumphos parari debuisse, aut etiamnum adhuc hodiè parari debere.

Eant

Eant ergò, respectu causarum Belli, Argivi, eant Argonautæ, eant Spartani, eant cum his Darius Persarum Rex, & filius ejus Xerxes, qui omnes sola regnandi cupiditate bella susceperunt & gesserunt truculentissima, quando illi primi Cholchidem Insulam, sequentes verò Achajam, tertii Athenienses Bello punico, quarti deniq; & quintus eosdem Græcos jam dicta, & nulla alia de causa bellis favissimis impetierunt, atq; adorti sunt. Eant itidem, quoad Belli causas, Eteocles & Polynices, Oedipi & Jocastæ filii, eant iterum Græci, eant Lacedæmonii, eant deniq; Thebani, qui omnes non multis concurrentibus de causis demum, ut hic Noster Serenissimus Elector, sed una saltem, aut altera interveniente, confestim ad arma profilièrunt; quando Historiæ narrant, quod priori loco nominati duo fratres Germani, ob quotam hereditariam adversus semetipsos, secundo loco adducti Græci, propter raptam à Paride Helenam contra Trojanos, tertii propter virgines Patrias, de more Provinciali ad cultum Deorum gentilium ad Messenios missas, ab his autem nefariè stupratis, contra hos ipsos Messenios, quarti deniq; propter stupratis & occisas Scedasi filias contra Spartanos bella susceperint longè gravissima, diuturna, & truculentissima. Sic, respectu sive quoad Bellorum media, valeat Capaneus inter Argivorum Duces secundum locum tenens, valeat Jason Argonautarum Dux primarius, valeant Carthaginenses, quippe ex quibus ille prior, tanto superbiæ ac impietatis vento sufflatus fuit, ut non sit veritus in hæc erumpere verba, se Thebanorum urbe potiturum, etiam si nunquam à Deo juvaretur. Alter verò, ut victoria in Colchide Insula potiretur, non erubuit beneficiis famosissimis famosissimam mulierem Medeam uxorem ducere, & illius ejusdem venefica arte in prædicto Bello

pro victoria consequenda uti, tertii deniq; illi, capto per Xantippum, Regulo Romanorum Consule, persævissimum hujus morti genus victoriam ab his extorquere ausi sunt: Valeant deniq; respectu bellorum eventus C. Lusatius Consul Romanus & Q. Valerius Prætor. Valeant Q. Fulvius & L. Opimius: ex quibus illi oppresse punica classe, de jure Triumphi multum ac longè verbis contenderunt, sponse tandem sese ad invicem provocarunt, cum tamen ille claudus in lectica jacuerit, hic verò Valerius, contra unicum tantum classem, tertius Fulvius nempè unicam tantum civitatem, quartus Fregellanos saltem ad deditionem compulerit, triumphandi tamen potestatem à Senatu petierunt, non autem impetrarunt, quippe quos omnes longè superat Serenissimus Elector Noster, ex causis quas jamdum antea audistis plurimis. Valeant deniq; cum his relatis, plurimi alii, qui in hanc faciem adhuc allegari possent, ex inde verò à Serenissimo Electore Nostro superantur quod, Valerio Maximo teste, Lugubres illorum semper existimatae sint victoriae, utpote non externo sed domestico partæ cruore: è contra hæc Serenissimi Nostri victoria à tot simul Provinciis, & quidem maxumam partem, sinè omni, cum domestico, tum externo cæde atq; cruore fuerit reportata.

Quod si verò aliquis ex antea allegato Valerio Maximo inferre vellet, jus istud Triumphandi, ex singulari seu speciali constituto Jure pro aucto tantum Imperio Romanorum, non pro recuperatis iis quæ Populi Romani fuissent, decerni fuisse solitum, eaq; propter hoc ipsum Seren: Electori Nostro Triumphandi magni genus non competere: attento, quod etiam hic pro recuperandis saltem rebus Cæsareanis, non pro augendis illis, bellum hoc susceperit, huic vel simili excipienti responsum volo: prædictas quidam illationes certo suo respectu, veras esse, ac locum

cum sibi vindicare, illis ipsis autem non evinci quasi Seren: Electori Nostro ob partam hanc Victoriam, prorsus nullus debeatur honor, verum ad minimum eidem, minor ille Triumphus, qui illis decerni consuevit, qui repentina & incruenta Victoria potiti sunt, ovatio nempe publica hactenus decerni & exhiberi debuisset, aut etiamnum deberet. Vellet autem aliquis adhuc hic inferre, nec hoc posterius triumphandi genus, in presentia causa ac casu locum sibi vindicare posse: Attento, quod una cum jam dicto Triumphandi more seu genere priori, etiam hoc posterius longissimo tempore in usu esse desierit: hic responsionis loco sciat velim, hanc Triumphandi Juris ac moris abrogationem Seren: Electori Nostro minime officere posse: imò non tam illa, quæ hactenus non facta, sive illegitimè intermissa, quàm illa, quæ Jure merito fieri potuissent, quæ Jure merito fieri debuissent, spectanda, ac proinde missa & intermissa in usum potius & consuetudinem revocanda, quàm denuo omittenda esse ac revocari debere.

Cumq; præterea Historiæ abunde testentur, apud antiquos, maxime autem apud Romanos præclarissimas præclarissimorum Bellorum Ducum virtutes & præclarissima eorundem benefacta etiam aliis præclarissimis præmiis, ac laudum generibus remunerari consuevisse: ut puta, quando illum, quem ob res optimè ac felicissimè gestas, summo honore dignissimū judicarent, Imperatoris titulo insigniri, aut illis à devictarum Provinciæ nominibus sumpta ad: & cognomina attribui cum passi sunt, tum omnino necessarium duxerunt, pro ut prioris illius taliter remunerandi generis Exempla possunt esse Octavius Augustus & Domitius Aenobarbus, quos ambos à militibus Imperatores consalutatos fuisse, Appianus scribit. Sic etiam Cn. Martium à devictis Volscis & eorum civitate primaria Corioli, Coriolanum,

Ianum, Scipionem à depugnatis Lacedæmoniis Annibale & Symphace, Africanum, & alterum illum Scipionem à depreſſis Carthaginensibus Carthaginensem dictum! Sic Titum Manlium à devicto Gallo ac sumto ab eo torque Torquatum, Alexandrum deniq; ob res præclariffimè gestas Magnum cognominatum fuiſſe, notum eſt. Sed quid antiquiores illos refero, cum recentiora ac domestica in promptu ſint exempla plurima. Quæ illa? agite unum atq; alterum vobis referam.

De Heinrico primo Austriæ Duce historiæ memorant, quod eundem, ob fidelem, indefeſſum & promptum succurſum, Fridericus Barbaroſſa Imperator Romanus in diplomate aliquo clypeum & cor Sacri Romani Imperii vocarit, quo Elogio, haud ſcio, an quicquam cogitari poſſit amplius, auguſtius & ſplendidius. Sed non minus honorifica eſt appellatio dexteræ manus Imperii, quæ in diplomate quodam tribuitur Alberto Saxoniæ Duci: ex quo ſimul apparet, jam olim etiam tantam fuiſſe autoritatem Austriacæ & Saxonicæ Domuum, ut viribus earum univerſum nixum ſit Romanum Imperium. Sic Fridericus III. Imperator Romanus Albertum III. Saxoniæ ducem, ob fidelem & ſtrenuam operam illi ad Novesium contra Carolum Burgundum præſtitam, animoſi Ducis cognomine decorare non erubuit, circa cujus magnanimi Herois mētione, non poſſum non illud etiam hic obiter inferere, eundem in ſuſcepta in Austriam expeditione Matthiam Ungariæ Regem in tantas anguſtias adduxiſſe, ut quamvis militum numero longè ſuperior hic eſſet, ille ipſe tamen Pacis conditiones oblataſ amplecti coactus & faſſus ſit, ſe, niſi Albertus illi obſtiſſet, caſtra in media Germania locaturum fuiſſe. Quod ſi hæc ad præſentem ſtatum aliquis applicaret & mutatis mutandis diceret, abſq; Sereniſſimo Johanne Georgio ſi fuiſſet, Fridericū Palati-

Palatinum novum Bohemiæ Regem & adseclas ejusdem, aut
 ipsum etiam Bethlem Transylvaniæ Ducem, contra FERDI-
 NANDI II. & fidos ejus Proceres conjuratos hostes, castra in
 media Germania locaturos fuisse, non ita multum, credum,
 aberraret, uti nec ille, qui prædictorum memorabilium cogno-
 mine uno vel altero ipsum insigniret Electorem nostrum. Sed
 quid hæc similia cognomina eorundemq; impositio augustior
 fortè ac dignior reputari possit, quàm quod à me indigno exco-
 gitari, vel proficisci valeat, illa ad eos, quos decet, remissa, ad
 alia propero, & pro conclusione hujus Orationis tandem dico,
 Quod, ut maximè Serenissimo Electori Nostro hætenus rela-
 ti Triumphi & similia eorum signa, quasi denegata, nec ipso fa-
 cto decreta sint, ut maximè hætenus illi nullum speciale quod-
 dam cognomen impositum fuerit, is ipse tamen, jure merito
 optimum & saluberrimum virtutum remunerandarum apud
 Romanos usitatum modum ac ritum, quo illi Belli Ducibus
 prosperè vincentibus, & ea de causa à Senatu supplicationem
 petentibus, plerumq; Tempa Deum aperire, & gratias Diis,
 ipsorum victorum nomine, agere consueverunt, sibi met elegit
 & ex plenitudine potestatis quasi decrevit. Quis enim nescit,
 rebus omnibus, antea dictis ac relatis modis, Divina omninò
 Dei Omnipotentis clementia, à Serenissimo Electore Nostro
 felicissimè peractis, jussu ejusdem, non una atq; altera saltem
 die, non uno atq; altero solummodò in loco, verum in omni-
 bus omnium ditionum Saxonicarum Electoralium locis ac
 templis, atq; sic, aliquot millenis in locis una die simul, Deo
 Trinuni Ter-Opt: Ter-Max: gratias ardentissimas ac devotissi-
 mas dictas atq; actas fuisse? & quid nî tales actæ atq; dictæ fu-
 issent, cum adhuc hodiè & impræsentiarum devotissimè agnos-
 camus, ac certò statuamus, quod omnia ea, quæ hætenus à Se-
 renissi-

T

renissi-

renissimo Electore Nostro felici fidere peracta atq; gesta sunt, non tam humana ipsius sapientiæ, quàmvis nec illa defuerit, quàm ipsius Omnipotentis Dei divinæ clementiæ ac bonitati adscribenda, ac proinde etiamnum eidem Omnipotenti Deo Ter-Opt: Ter-Max: intimis animorum suspiriis gratias agendas, esse quàm devotissimas.

Utut autem hæc omnia sese habeant, quia non solùm è Politicis Præceptis & traditionibus, verùm etiam è communi experientia & Historiis fide dignissimis constat, fieri aliquando posse, ut victi vincant: quoniam, secundum Maronem,

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
ex quo Cato ille Romanus haud inconcinnè, puto, dixit;

Victorem à victo superari sæpè videmus.
eò quod secundum Ovidium:

Mars dubius nec certa Venus: victiq; resurgunt,

Quosq; neges unquam posse jacere, cadunt.

Quia præterea adhuc hodiè multi inveniuntur Alcibiades, qui calidissimis suis consiliis bella optimis conditionibus deposita atq; sopita, redintegrare assolent, ut ille ipse in Bello ab Atheniensibus, contra Lacedæmonios gesto, fecisse scribitur: quia multi adhuc hodiè Appii Claudii cœci reperiuntur, qui auream Pacem, optimis conditionibus oblatam, penitus dissuadent, è contra nil nisi arma crepant: quia deniq; historia testantur, etiam solennissimè pacta pacis fœdera brevissimo temporis spatio inviolata permanisse, è contra præter spem & expectationem rupta fuisse, prout ejus rei exempla possunt esse duo illa inter Athenienses & Lacedæmonios pacis fœdera, quorum alterum 55. ad annos 30. alterum usq; extensum & pactum fuit, hoc autem vix annis 14. illud vix ac ne vix quidem annis 6. continuatum & sartum tectumq; habitum fuit. Consequenter

sequenter valdè metuendum sit, ne in futurum, vel noviter
 pacta fœdera pessimè rumpātur, vel alio modo mali aliquid, tam
 contrà ipsum Invictissimum Romani Imperii Cæsarem, quàm
 contra ipsummet Serenissimum Electorem Nostrum tentetur,
 ac proindè modis mediisq; omnibus prævidendum, & quantum
 humanitus à nobis fieri potest, providendum, ut illud ipsum à
 Deo Ter-Opt: Ter-Ma: clementissimè avertatur: En! devotissi-
 mis animorum suspiriis, altissimum in coelis defatigamus &
 supplices precamur, ut non solùm omnia noviter pacta fœde-
 ra rata habere, & illa ad ultima mundi secula usq;, quinimò
 ad ultimum seculorum diem usq; clementissimè facta tecta atq;
 illæsa servare, verùm etiam facere velit, ut, sublatis omnibus
 dissensionibus, seditionibus, turbis atq; tumultibus, pax inter
 nos coalescat & floreat, & ut nunquàm, nisi extrema necessita-
 te exigente, contra Capitalem Christianorum hostem Turcam,
 bellum suscipere necessum habeamus: in quo ipse Dux & pro-
 pugnator noster sit: ut omnia ad nominis sui gloriam, & Ec-
 clesiæ Christianæ propagationem fiant: cui soli in
 omne ævum sit laus & gloria,
 Amen.

D I X I.



F I N I S.

710

omnes mundi istas & glorias
 clare Christiane propagationem hanc; cui soli in
 gaudet nosse hunc; ut omnia ad dominum sui gloriam & Ec-
 clesiam hanc referantur: in quo ipse Dux & pro-
 ceptor contra Christianorum hostem Turcum
 & Mahometum & ut videretur, nisi extrema necesse
 foret, ut hunc mundum, in his ad propagationem
 Christianam, ventum esset, vellet, solitas omnibus
 in hunc seculo in diebus aspectum hunc hanc
 hanc habere, & illa ad vitam mundi seculi usque, quibus
 hanc precibus, in non solam annis novit pacta fidei
 & Christianorum hanc, assistant in ceteris delictis
 & hanc.

Handwritten in blue ink: 104



F I N I S

Handwritten in blue ink: 104

Handwritten in blue ink: 104

ULB Halle
004 144 457

3





Ch. 21, 23.

ORATIO
Plusquam ment
trophæa Saxoni

Invictissimi
DN. FI
Sacri Romani
Bohemia

Serenissimus
DN. JOH
Saxonix, Juli
Romani Imper
Thuringix, M
Comes de M

Loco
Vtriusq
Inferior
Regnoru
Civitat
Glacens
Omnibu
Ineffabi

CASPARO
J. U. D.
FRIBERO

ruenta
inens

omini,
II.
ria ac

inus,
US,
Sacri
lgravius
genfis,

SANO

623.

V c
3407

